DE

PRISCORVM

SAPIENTVM PLACITIS,

AC OPTIMO PHILOSOPHANDI GENERE,

SENTENTIÆ ET Theoremata varia, ad ingenuas disciplinas pertinentia,

AB ALOYSIO PISAVRIO MARINI filio patritio Veneto proposita,

CVM PATAVII TVM VENETIIS publico congressu ad ueritatis gloriam inter uiros ingenuos discutienda.







PATAVII,
Ex Officina Laurentij Pasquati,
MDLXVII.

AMPLISS. ATQ; REVERENDISS.

VIRO DANIELI BARBARO AQVILEIÆ PATRIARCHAE DESIG.

Aloysius Pisaurius. S. P. D.



Vmmopere mihi semper placuit Parthorum illud institutum, quo nemini licere videbatur, Principem sine munere salutare. Hac enim ratione animi obseruantiam cumulatius declarabant: & sua omnino bona, cùm fortunæ, tùm animi in eius collocari manibus præseferebant; Cum igitur iamdiu exoptarem, te uirum Ampliß. (qui Ægyptiorũ more, summo cum sacerdotio, summam iunxisti sapientiam) insigni aliqua ratione salutare: id sine munere recte fieri, haud posse iudicaui. Mecum autem, deinde considerans, nihilq; te dignum, nihil præstantiæ animi tui par, inueniens; ad amicos, & domesticos tuos, confugiendum censui: Hi uerò sunt

uiri, quotquot hactenus sapientißimi floruerũt qui per suas eruditißimas scriptiones, & singulares sẽtẽtias, tanquàm præclaros animorum suorum fetus, etiam inuito tempore, post Naturæ neceßitatem, seruantur incolumes: Quibus Lyceum tuum magnificentißime exornasti. Hos ego conueni; Ab ijs petij, vt te dignũ aliquid mihi concederent. Annuerunt ipsi, ac humanißime mihi condonarunt, ut ex eorũ penetralibus, præcipuas depromerem sententias, quas penè iureiurando affirmarunt, tibi gratissimas forè. Sedulò itaq; ego ex singulis, quod mihi probandum videbatur, delegi: quod uerò minus, neglexi, ac prætermisi. Qua profectò ratione perbelle cognoui in omnibus priscorum sapientum scholis, posse ingenuum animum commorari, aliquidq́ recti conspicere, adeo vt non iniuria altißimo illo sapientis nomine, earum Antistites, fuerint honestati. Ac unà percepi iure omnium ore, omniumq́ consensu peripateticos præ ceteris commendari, summaq́ in uene ratione uersari. Nam uere inter Mundi sapientes, Principem, sibi locum uendicarunt: uere firmarunt, & crexerunt terminos, vltra quos

hominum ingenijs pertranſire non datur. At hoc in loco, humanæ conditionis imbecillitatē, cognoſcere mihi licuit; Peripatetica nanque illa ſapientia, mira ingeniorum fælicitate tot laboribus atque vigilijs abſoluta, & elaborata, quæ inter hominum inuenta, primo magnū, atque admirabile quoddam uideri poteſt, ſi cū ſuperna conferatur luce, tenebricoſa languet, conuoluta, & deſpecta iacet; Adeo ut niſi cælitus demiſſo fulgore illuſtretur, niſi Theologiæ manibus erigatur, negligenda ſit penitus, & deſpicienda. Quod cum animaduertiſſem ex te exemplum ſumens, ad ueritatis regulam, me ipſum contuli, & qua ualui ex parte, direxi, & emendaui. Hoc itaque munus illud eſt ex tuis familiaribus depromptum, quo nūc te ſumma cum ueneratione, ac caritate ſalutatum velim, Quod tibi apprimè conueniens, futurū non iniuria ſperaui. Non ſolum quia arcto neceſsitudinis uinculo cum ſimus deuincti, te ſemper ſummopere colui: uerum multo magis, quia propter eximiam uirtutem, & inſignem eruditionem in te animi, mentiſq; meæ aciem ſemper direxi, & ad tui potiſsimum imitationem

me contuli. Sic etenim mecum ſtatui, in quo magis antiquæ ſapientiæ, ingenij, & probitatis effigies eſſet expreſſa, eſſe neminem. Tu nanque is es, qui hanc eandem adoleſcens ſectatus ſtudiorum rationem, conſpicua, naſcentis in te ſapientiæ dediſti ſigna, cum primum te peritiſſimum Geometram indicaſti. Mathematici enim Platonis iuditio ad omnes diſciplinas sūt aptisſimi. Eandem mox creſcentem uariis diſputationibus, agentisq; Philoſophiæ publicis explicationibus, eruditisſimis ſcriptionibus, ſumma cum gloria oſtendiſti. Ac demum iam adultam re ipſa comprobaſti. Cum enim diſciplinæ ob hominum uſum, & Deorum cultum ſint inuentæ, tu, qui primum penè adoleſcens quantum in R.P. ualeres in dicenda ſententia in gerendis magiſtratibus in legationibus ad ſummos Principes obeūdis, indicaſti: Ad Dei paulo poſt cultum euocatus, fælicisſime præſtiti ſti, quæ uirum decent prudentisſimum, & Religioſisſimum. Nam quo ſublimiorem conſcendiſti dignitatis gradum, eo illuſtriora, & certiora tuæ uirtutis ſigna præbuiſti, Nihilq; eſſe adeò magnum, quod tu præclara tua animi uirtu

te, præstare non ualeas. Verum non te fugit, nec ego profectò inficior, Vir Nobilissime & integerrime, munera, quæ præstantioribus plerunque offeruntur, emolumenti & maioris quæstus gratia tribui solere. Quare ego quoq; à te magni animi uiro, insigne aliquod emolumentum, me consequuturum spero. Siquidem ea potissimũ ratione primos hos meorum studiorum fœtus tibi detuli, ut ex tuo iuditio, ueluti lydio lapide, cognoscerem, quæ mihi ex depromptis seruanda, quæ ue reiicienda forent, & si qua in parte tibi uiderentur informes, incomparabili tua eruditionis rectitudine, formarentur, & emendarentur: Qua ex castigatione, animi quoque mei secutura uidetur emendatio, quam eius fore statui solidam, & integerrimam sanitatem, Aurumq; illud uiuum, quo Socrates ditari cupiebat. Quo quidẽ quæstu nil mihi optabilius, nil preciosius poterit euenire, quem cumulatissime me adepturum certo scio, cum simul ualeas, & uelis. Vale Patauij, Tertio Nonas Martij. M D L X V I I.



1 PRIMI à quibus ſcientiæ ad nos deuenerunt, Non Græci fuerunt, ſed qui à Græcis nuncupabantur Barbari, quos etiam inſtauratores potius,quam inuentores eſſe dixerim:Græci poſtea ſunt ſecuti, quorum ſtudio adaucta ordinata & abſoluta fuerunt.inde & Plato & Ariſt. diſciplinarum renouationem externis nationibus acceptam referũt à Græcis tandem vnà cum imperio ad Latinos deducta fuerunt.

2 Pro veritatis aſſequenda Gloria quamplurimi in hac mundi quaſi harena dimicarunt, atque alij alio ſunt pacto ingenij ſui vires periclitati, ſoli tamen Peripatetici inter mundi Philoſophos ad eam proximè acceſſerunt, & Principem ſibi locum uendicarunt, etenim, cum ratione ordinis et Methodi, tum ratione inuentionis & iu-

dicij altius eleuati Aristotele duce (ut nomen pollicetur) optimum operi imposuere finem, quemadmodum singulorum dogmata considerantibus patebit.

3 Vetustissimi, quorum sententiæ nonnullæ per internuncios Philosophos adhuc referuntur, fuere Magi: qui Persarum sapientes erant, & Gymnosophistæ Indorum, Druidæ, & Semnothei Gallorum, & Ægyptiorum Sacerdotes: vt interim Armenios, Babylonios, & Assyrios præteream: quorum Magiam neque omnino naturalem, neque penitus superstitiosam, sed mistam, & propterea non ex omni parte despiciendam puto: summo enim honore digna esse naturalis mihi magia videtur.

4 De qua vt paucis dicam quod sentio, non duplicem ego eam, vt alij, sed triplicem esse arbitror Simplicem Magiam, vnam diuinam, quam intellexit Porphyrius, cum dixit, Magum esse interpretem, & cultorem Deorum: Alteram physicam, immo etiam physicæ absolutionem, & perfectionem: Tertiam nefariam immundorũ

ſpirituum incantationibus concinnatam.
Ex his omnibus, uel ſaltem ex duabus Ma
gia miſta orta eſt, qualem ego priſcorum il
lam fuiſſe exiſtimo.

5 Quoniam autem non eorum libri, ſed pau-
ciſsimæ quædam extant ſententiæ ab alijs
auctoribus relatæ tantummodo, atque ad-
eo difficili, & obſcuro dicendi genere dele
cti ſunt, vt diuinare ſit neceſſe intellige
re illas cupientibus: videmur poſſe eos ad-
mirari potius, quàm vel ſectari, vel quic
quam ab illis addiſcere. Optimum igitur
philoſophandi genus in curioſa eorum opi-
nionis inueſtigatione, ut quidam credide
runt, non conſiſtit.

6 Illorum tamen cognitio, quam conſequi va
lemus, et ad comprobationem, & ad gra
uitatem diſciplinarum plurimum cõfert:
Nanque ob priſcam auctoritatem Dijs af
finem arcanum quiddam præſeferunt, &
audientium animos in uetitũ tẽdẽtes ſpe
quadam mirabiliter alliciunt. Propterea
Plato, & Ariſtoteles eorum interpoſitio-
ne admirabilius proprium philoſophãdi ge

nus ſæpe reddiderunt.

7 *Sed, ut tandem aliquando deueniam ad Græcos, quorum placita perfectius à nobis cognoſci poſſunt, Thalete, Pythagora, Socrate, & alijs Philoſophiæ parentibus relictis: ſectas uarias perpendendas iudico, quæ poſt mortuum Socratem floruerunt, ut in illam incumbamus accuratiſſime: in illa, inquam, quam omnium optimam cognouerimus, omnia noſtra ſtudia, omnem operam, curam & induſtriam locemus.*

EPICVREI

8 PRO EPICVRO. *PRimo lætitia quadam geſtientes occurrũt Epicurei, & hilares ad eorũ ſcholas nos inuitant, & uaria nobis afferunt commendatione digna: Nam iure uoluptatem maxime commendant, ſi quidem nõ obſcenam uoluptatem intelligunt, ut male nonnulli eis obiecerunt, ſed animi. Quam quidem ueram uoluptatem ab honeſto ſeiungi minime uoluerunt.*

9 *Deinde recte aſſeruerũt ſobriam, ſuauèmque uitam ratione gigni, & neminem poſſe, niſi qui honeſte, prudenter, rectèque uiuat iucunde uiuere: & a uoluptate ſolam uirtutem eſſe inſeparabilem.*

10 *Præterea nec temere, nec inconſiderate uoluptatum genera diuiſerunt: ex uoluptatibus enim alias naturales, & neceſſarias eſſe, alias naturales, ſed non neceſſarias, nonnullas uero nec naturales, neque neceſſarias, ſed circa inanem opinionem uerſari dixerunt.*

11 *Communem quoque hominum ſententiam non immerito damnarunt, qui cenſent in quauis lingua primos extitiſſe nominum inuentores: Cum ſit potius cenſendum ab innumeris prope nomina fuiſſe rebus impoſita, quæ quidem ſemper habuerunt, & ſemper aliquam ſunt habitura mutationem: cadent enim quæ nunc ſunt in honore uocabula, quæque iam ceciderunt, quoties placuerit uſui, renaſcentur. fortaſſe igitur his rationibus eorum ſecta eſt eligenda.*

ADVERSVS EPICV.

12 *At quomodo eundum eſt nobis in Epicureorum ſententiam, cum optimum uoluptatis genus, de quo tamdiu laborarunt, minime cognouerint?*

13 *Quomodo uerum uoluptatis genus cognouerunt, cum ſupra corpus nihil conſpexerint: et animam & Deos procul ab omni ueritate cenſuerint eſſe corpora?*

14 *Quomodo aliquid ueri unquam alibi enunciare potuerunt, cum ſtatim in ipſis rerum primordijs à uero tam longe receſſerint, dum atomorum corpuſcula, Democritum ſectati, rerum initia eſſe cenſuerunt?*

15 *Male illud etiam aſſeruere, omnia corpora, immò prima rerum principia eſſe grauitate prædita: Et illius inclinationis quam tribuunt atomis, dum à Democrito recedere cupiunt, nullam certam cauſam aſsignant: Neque quicquam enunſciant, quod ſit naturæ conſentaneum. Sed lòngum eſſet ſingula eorum errata recenſere.*

16 *VErum fortasse rectius philosophati sunt Cynici Epicuro aduersi, qui uoluptatem adeo spreuerunt, ut satius duxerint insanire, quàm uoluptate affici. quod profectò est de quodam uoluptatum genere probandum.* PRO CYNICIS.

17 *Laborem deinde non sine caussa maxime commendarunt, & in studiosis laborum animis putarunt omnia inesse bona.*

18 *Illud etiam recte dixerunt nihil esse stultius homine, nihil sapientius: Et homini nil libertate melius contingere unquam posse. Et eosdem nobiles, & uirtute præditos censendos esse: & uirum iustum consanguineo esse anteponendum.*

19 *At quis tantopere insipiet, ut inter Cynicos connumerari velit, qui non solum cōtemplatiuas non ordinarunt disciplinas, sed etiam, Diocle teste, naturalem philosophiam, & rationales doctrinas spreuerūt, ac insuper geometriam, & musicam humano generi maxime consentaneas inutiles* ADVERSUS CYNICOS

iudicauerunt.

20 *Libertatem commendarunt: sed quo pacto fieri potest, ut, qui ciuilitatem omnem euertebant, recte ij senserint de libertate?*

21 *Male etiam matrimonium, & nuptias rem inanem censeban t, et male communes esse mulieres voluerunt.*

CYRENAICI.

22 PRO CYRENAICIS. *NVm primas tribuemus Cyrenaicis, & Aristippum Ducem eligemus? hi enim, cum voluptatem, Epicureorum more, commendarint, eam melius videntur cognouisse, dum inter uoluptatem, & dolorem mediam posuerunt indolentiam, quod negarunt Epicurei.*

23 *Recte quoque affirmarunt vol uptatem, & dolorem duos esse perturbationum omniũ fontes: à quibus ceteræ ducerent ortum: et ad quos ceteræ redigerentur.*

24 *Insuper eorum sententia probanda est, dum mortalem hunc hominem vitam ex omni parte beatam assequi posse negant. Dicemus*

mus

mus ne hanc ob caussam huiusmodi nobis Duces esse eligendos?

25 *At valeant huius hæresis homines, qui nec verum, nec rectum diiudicare ualuerunt: Nam verum nequeunt conspicere, cum rerum naturalium missam faciant inquisitionem, ne corporis voluptatem labore turbent, quam præstantiorem mentiuntur voluptate animi.* ADVERSVS. EOS

26 *A recto quoque longe recedunt, cùm deterius, quàm Epicurei lenem motum ad sensum emanantem hominis finem statuerint. Inde impudentißime affirmarunt nil natura iustum esse, vel honestum, vel turpe, sed consuetudine tantum, & lege.*

27 *Huius sectæ peruersas sententias hoc vno facile diiudicare licet, quia Theodorij, qui huius fuere claßis, omnes de Dijs sustulere opiniones, ac maiorem corporis, quam animi curam susceperunt. Anicerij quoque his cohærentes amicitiam spreuerunt: honorem erga parentes, & præclara facinora pro patria, vt ignauißimi neglexerunt.*

28 PRO STOICIS. COmpriment fortaſſe Stoici ſua ipſorum ſeueritate Cyrenaicorum licentiam, & luce aliqua mentis cæcitatem repellent: hi namque optime ſtatuunt duo prima rerum initia materiam, & formam, à quorum vno omnis manaret operatio: ab altero vero omnis paſsio, quæ interitum haberet annexum.

29 Recte etiam cognouerunt ex his duobus initijs vnicum exoriri mundum, intra quem nil vacui reperiretur, & eius formam eſſe eſſentialem ordinem partium conſtituentium vniuerſum.

30 Optime de recto quoque ſenſerunt, dum affectuũ eradicationem ſapienti conuenire affirmant, & perperam à multis in hac re accuſantur: Cum eradicatio Stoicorum a Peripateticorum moderatione non ſeiungatur. itaque diſſentiunt quidem voce, re autem conueniunt.

31 Inſuper ſumma ſunt digni laude, quoniam libertatem, & ſapientiam ita iungunt, ut

unum ſine altero nequeat conſiſtere. pariter malitiam, & ſeruitutem iure complicant adeo, ut omnis malus cenſeri debeat ſeruus, & omnis ſeruus malus. His itaque ac alijs plurimis recte ab eis conſtitutis mouebimur ad ſectandas eorum ſcholas?

32 *Verum quia neceſſe eſt, ut male de Deo, et de anima ſentiētes in omnibus delinquāt cum Stoici cenſeant Deum eſſe corpus, & noſtras animas illius diuini corporis eſſe portionem, iure culpandi, & deſerendi ſunt.* ADVERSVS STOICOS.

33 *Male etiam Philoſophiam in Phyſicam, Ethicam, & Logicam diſtribuerunt: Nā que non partem numerarunt pro parte, & partem præcipuam dimiſerunt.*

34 *A recto etiam longe uidentur receßiſſe, dū omnia bona nituntur paria eſſe oſtendere, ac omnia quoque peccata paria affirmāt.*

35 *Poſtremo Fatalis ea corporearum cauſſarum ſeries, cui omnia ſubiiciunt, & quā maximi fecerunt, non modo ueritati repugnat, uerū uniuerſam etiā hominis uitam peruertit. Eos itaque miſſos faciamus*

36 AT forsan, quia ueritas in profundo la-
PRO tet, & hominis sapientia stultitia quæ-
SCEP
TICIS. dā censenda est: cum Pyrrone, & secta-
toribus comprehensionem negare debemus
& nil esse definiendum nil affirmandum
asserere? præsertim cum ignorantia sit ho-
mini maxime familiaris.

37 Huc accedit, quod ob communis materiæ inconstantiam cuncta, quæ nobis sunt proxima modo aliquo fluunt, & nihil est adeo sincerum ut permistionem aliquam non habeat annexam. Vnde fit, ut eorum, quæ sub sensum cadunt, nil proprie sit, sed potius esse uideatur.

38 Insuper commendatione sunt digni, quia de primis rerum initijs, de differentijs plurimis nil certi assequi ualemus. inde hominū sententiæ uariæ sunt. Inde sensilia plurima in habitudine consistere uidentur, Et uni dulce alteri est amarū: uni utile, alteri est aduersum itaque septici, Zethici, Ephectici, Heratlitici uidentur recte sensisse.

39 *Sed quis nam adeo insaniat, ut eis censeat adhærendum, qui dum propriam sententiam comprobant, eam maxime labefactant? Quis eum eliget Ducem, qui suo se iugulat gladio? si enim comprehensio non datur, quomodo incomprehensibilitatem comprehendunt? si nil decernendum, quomodo tanta constantia quod nil sit decernendum decernunt? si demonstrationem signa, & disciplinas tollunt, quomodo tam anxie laborant, ut ostensionibus et signis in eorum sententiam nos trahant? si nil per naturam est, sed solum uidetur esse, id quoque quod ipsi statuunt, minime esse dicendum est.* ADVERSVS EOS.

40 *Accedit postremo, quod dũ ex proprio dogmate uitæ trãquillitatẽ pendere censẽt humanã uitã, & solidã tranquillitatẽ euertũt: Censent enim nil natura turpe, seu honestũ, seu iustũ sed sola lege. quare nec ea erit uitæ tranquillitas, sed sine iudicio iudicabitur ab eis: nec etiam lege aliquid tale erit, cum lex decernat, ipsi autem nil esse decernendum affirment.*

Cum tandem ex eorum sententia res ita se

habeat, ut nobis uidetur, falsam asserere debemus eorum opinionem: cum & nobis, & plurimis ea esse falsa uideatur.

ACADEMICI.

41 PRO ACADEMICIS. *Qui à Platone per Speusippum, Zenocratē, Arcesilam, Lacydem, & Carneadem descenderunt, Academici dicti sunt, qui ob varium interpretandi modum in sex Academias distributi adinueniuntur: quarum tres fuerunt Atticæ: Nam vetus sub Zenocrate floruit: media sub Arcesila: sub Lacyde, vel Carneade noua. Reliquæ peregrinæ fuerunt, quarum Ægyptia sub Ammonio: Romana sub Plotino: sub Proclo Lycia viguit. Ego breuiorem sectatus diuisionem, Academiam totam in nouam, et veterem distribuo.*

42 *Nouam statuo veluti portionem totius Academiæ: Nam eam partem intelligi volo, quæ nihil asserit, nihil decernit, & noua dicitur non quia à priscis initia non sumpserit, sed quoniam à Carneade, & iuniori-*

bus Academicis in puluerem deducta, & in lucem exquisitissime reuocata fuit.

43 *Nomine veteris Academiæ dogmaticam intelligi uolo dum Plato, et eius sectatores de rebus aliquid decernunt, quam sapientum præcipui maxime commendarunt: in hac enim tum de vero, tum de recto adeo magnifice disseritur, vt ad Deum, & ad Rẽpublicam opportunum iter per hanc intueri valeamus.*

44 *Nam, cum Plato Pythagoram, Socratem, et Heraclitum sibi duces elegerit. ex omnibus summo iudicio desumpsit, quod congruum diiudicauit. Quare ex Pythagora naturam intelligibilium, & ordinem vniuersi, ex Heraclito huius Mundi mortalis inconstantiam: ex Socrate, quæ ad morum compositionem attinent felicissime uidetur desumpsisse.*

E

45 *In hac vetere Academia optime cognoscimus à Deo cuncta dependere. Nam ipsum vnum, & ipsum bonum Deus est: qui, perinde ac immobile centrum, nihil secundũ formam, sed omnia quo ad eminentiam, et* X PYTHAG. DESVMPTA.

virtutem includit · & hæc est ea Pythagoræ decantata vnitas, quæ varia consideratione aliquando sola esse dicitur: nonnũquam vero non esse: sed eius, quod est, initium statuitur.

46 *Hæc fæcundißima vnitas non sterilis mãsit; sed omnia procreauit: Nam statim ei mens succedit, quasi circa immobile centrum immobilis circulus: in qua rerum fulgẽt ideæ, quæ minime sunt rerum essentiæ abiunctæ, ut male putarunt nonnulli: sed ipsamet essentia mentis, ut inferiora continet, ut ea representat, ut imitabilis est, ut tandem ea procreare nata est.*

47 *Anima mentẽ sequitur, quæ, quoniam magis declinat ad corpus, & id agitare nata est, non insulse circulus mobilis nuncupatur: circulus quidem, quia menti, perinde ac capiti cohæret, & eam sectatur & ambit, per eam bono iungitur: mobilis uero, quia excitatur, & ex se habet, ut sequentia moueat: non tamen æque, ac corpora, mobilis est.*

48 *Ab anima natura pendet, quæ nihil cognoscit,*

ſcit, ſed efficit. Quamobrem imago dicitur ſapientiæ: in qua quidem rerum ſemina reperiuntur proportione ideis reſpondentia. Hæc non abſolute eſt initium motus, ſi ad animam conferatur, ſed diſpoſitio potius, ut res facillime moueantur. Inde patet quomodo conſultrix & prouida dici poßit.

49 *Poſtremo iam apparet materia, quæ nō natura eſt, ſed naturæ uehiculum, & locus dicitur nō quidem corporum, ſed formarum, ſeu potius participationis earum, et cum nunquā intereat, poteſt hoc aliquid nuncupari multo magis quàm compoſitū. Præterea non Ens, ſed Entis umbra, & infra Ens cenſeri debet.*

50 *Ex huiuſmodi centro, & circulis primo immobilibus, mox mobilibus, primo incorporeis mox corporeis [illegible] conſurgit Mundus, cum incorporeus, tum corporeus, qui immobiliter moueri dicitur, cuius partes ea fœcūditate ſunt prȩditæ ut in quouis circulo eius, modo ſibi con[illegible]o mirabiliter omnia ineſſe dicuntur. Hinc fit, ut*

Mundus, & unus, & plurimi iudicari possint.

51 *Inde notũ est qua ratione omnia sint ab unitate profecta: & quo item modo in infimũ labantur gradum: quo etiam ordinentur modo, ligentur, cognoscantur, curentur, sibi consentiant, & unitatẽ quærendo in suum finem redire ualeant, tum uirtute ligamenti corporum, tum formarum tum idearũ. Hac enim triformi copula diuinitus trinitatis mysteriũ præseferente omnia felicißime sibi cohærent, & seruantur.*

52 *Hæc ex admirabili Pythagora potißimum fluxere, quæ tamen à Platone suis fuerunt numeris absoluta: qui quoniam sæpe mystice, & per ænigmata ea denunciat, frequenter ab ijs carpitur, qui solam uerborum superficiem, & corticem aduertunt: præsertim uero cum ad rerum explicationem Mathematicis utitur. At qui diligentius secretiorem sentẽtiam perpenderit, eam admiretur potius necesse est, quã reprehensione dignam arbitretur.*

53 *Si uolumus etiam in hac Academia quæ ad*

uitæ & morum institutionem attinent ad discere: socratica nobis offerentur præcepta, quibus quid uenustius, quid conducibilius, quid sanctius in Philosophorum scholis ualemus audire? EX SOCRATE.

54 *Socrates nanque firmißima primo iacit fundamenta institutionis humanæ uitæ uidelicet. Cognosce te ipsum. Addisce uerũ hominem, non hoc compositum, sed solam animam esse.*

55 *Ex his sequitur illud, eum, qui se curat, animum non corpus curare debere, præterea non de corporis breuißima, sed de animi æterna uita cupiẽti beate uiuere laborãdũ esse. Ex huiuscemodi radicibus quas arbores, quos postea fructos sperare debemus?*

56 *Ac statim, ut nos ipsos, hoc est, ut animum curemus, ut optima ualetudine ualeamus triplices nobis uirtutes ostendit, uidelicet, Ciuiles, purgatrices, & eas, quæ animi iam purgati nuncupantur, quibus omnes animi ægritudines, idest uitia cuncta procul repelluntur, & firmißima sanitate donamur.*

57 *Ex his percipimus, animum, qui corpori se mācipat, compedibus uinciri, & in seruitutē adduci: dum uero uirtutum ope dissoluitur, & superioribus idem iungitur animus liber euadit. Inde capiti suo inseruire regnare est, inde Philosophia, uulgaris mortis, & ueræ uitæ meditatio iudicatur. inde maxime uiuit, qui uiuens ita moriatur, ut prauis cupiditatibus nō inseruiat.*

58 *Colligimus etiam ex ijsdem rationibus, internum hominem uere formosum esse: Nam pulchritudo, quæ idearum dicitur locus, ab ipso bono ducitur. propterea ascendenti animæ occurrit pulchrum, & bonum: descendenti uero turpe, & malum.*

59 *Sic quoque addiscimus, cur Socrates amorem adeo commendauerit, cur asseruerit, qui rem pulchram diligit, Deum diligit: Nam amor à pulchro excitatur, Pulchrū est bono iunctū. Quare pulchritudo admirationē incredibilem, & desideriū parit: cuius desiderij finis est, ut bono, & uni iungamur: nisi Narcisi more, uera pulchritudine relicta, eius umbrā presequamur.*

60 *Ex his optimam hominis dispositionẽ in uirtute consistere, ac uirtutem omnem animi esse purificationẽ cognoscimus, et quãquam Deo uirtutum formæ non conueniunt, attamẽ homo per uirtutes Deo redditur similis, quæ tanti sunt momenti, ut hominẽ potẽtissimũ reddere ualeant: Nã iniusti, & uitiosi, etiam si totius orbis imperio potiantur, impotentissimi, & infelicissimi omnium censendi sunt.*

61 *Denique si considerauerimus ea, quæ fluxerunt ex Heraclito, qui omnia, quæ sub sensum cadunt, non esse, sed fieri existimauit, quid aliud inde colligemus, quã rerum caducarum inconstantiam, & humanæ cognitionis imbecillitatem? Inde Socratis manauit sapientia. Hoc vnum scio, quod nihil scio, ad compescendam sophistarum arrogantiam.* EX HERACLITO.

62 *Hoc vnum Philosophiæ genus nouæ Academiæ principes secuti sunt, in hanc doctrinam omnes neruos intenderunt: statuentes nil decernendum, sed de quauis re in vtramque partem disserendum esse. et id*

id genus orationis, quo Plato vsus erat per interrogationes & responsiones, ex vmbra in certamē deduxerunt: In hoc tamen errasse credendum est, quod, cum mediocritatem seruare debuissent, nimis ad extremum declinarūt. ac in Eliacos, Eretricos, Megaricos, & Dialecticos lapsi sunt: quorum sententias in multis similes Pyrrhoniorum placitis silentio prætereundas censui.

63 *Ex percursis optime innotescit firmißimis radicibus niti veterem Academiam: grauißimas esse sententias eius, & plurimum valere ad institutionem ingenui animi: Nouam vero plurimum veritatis includere: Ex illa diuinorum præstantiam: Ex hac mortalium inconstantiam addiscimus. Quare nemo in eam male animatus esse debet. Sed forte quis suspicabitur Academiā ceteris sectis esse præferendam, & in ea sola apprehendendas esse disciplinas.*

64 *Contra vero, quis nam eliget ab eo disciplinas addiscere, qui nil docere profitetur? Quis ab eo scientiarum ordinem quæret, qui eas in ordinem redigere negauit? Con-*

ADVERSVS ACADEMICOS.

cipias animo, quæso, quibus Mæandris, quo Labyrintho adolescens implicabitur, si rudis Academiam ingrediatur: potius .n. illam ignorantiam, quam ipsi profitentur, inspicere poterit, quam scientiam vllam addiscere.

65 Huc accedit, quòd, cùm disciplinæ proprijs terminis sint explicandæ, cum vicißim nõ sint permiscendæ, cum sint etiam repellendæ metaphoræ, in Academia omnem hanc rationem immutatam comperies. Nam eius Antistes raro terminis proprijs utitur, sæpe metaphoras affert, sæpißime disciplinas audet permiscere.

66 Ostensionibus præterea efficacioribus sententiæ comprobandæ sunt, non sufficiunt exẽpla: fabulæ nõ ostendunt veritatem, nec in quauis pulchra imaginatione sine demonstratione conquiscendum est. quoniã hinc fit, vt sæpe iuuenes exteriori ea venustate allecti, vmbras sectentur, odorentur flores, fructus autem non deguſtent, nec quod est solidum attingant.

67 Missum nunc facio Academicos in nonnul-

lis declinare à recto, dum ad vniuersum, & partem eius pertinentia diiudicant, ac insuper dū Remp. principijs Magistratibus & legibus firmant ne in re minus vtili videar immorari.

68 Colligamus igitur alio conferenda esse nostra studia, & in alia scola addiscēdas esse disciplinas. in Academia vero pietate ac uenustate quadam honestādas, quodam quasi celitus dimisso spiritu animādas, ad sublimiàq. tollendas. Quo circa & Medici & Theologi præstantissimi in Academia versati sunt: Et nemo in numero sapientum recensetur, cui Socratis, seu Platonis Dæmon non annuerit:

PERIPATETICI.

69 Dum scholas ingredimur Peripateticorum hoc primo mirabile occurrit, exactissima disciplinarum distinctio, ordo earū exquisitissimus, ac insuper Methodus singulis partibus apprime congrua: vt ex omnibus vnum conficiatur corpus singulis suis mēbris

bris

bris ordinatissime absolutum.

70 *Distribuuntur primo disciplinæ in instrumẽtarias, & præcipuas. Instrumentariæ sunt illæ, quæ circa duo præsertim versantur à natura nobis instrumenti loco tributa. Ea vero sunt oratio, & ratiocinatio. Quare disciplinæ, quæ vel orationem, vel ratiocinationem formare docent instrumentariæ dici debent.*

71 *Harum præcipua est Logica, quæ nomen sortitur potius à ratiocinatione, quam ab oratione: quæ & una, et triplex, & quincuplex dici potest.*

72 *Nam Logica est una, quatenus est disciplina ad explicandum instrumentum cognoscendi ordinata, quod et uniuersim, et sigillatim in eius partibus declaratur.*

73 *Eadem dicitur triplex, quatenus seorsum & sciendi, & opinandi, & decipiendi instrumenta declarat. decipiendi inquam, non ut decipiamus alios, sed ut perite deceptiones uitare ualeamus.*

74 *Si uero ratiocinationi oratiõis addimus ornamentũ, uel inuentionem, imitationem,*

& numerum, Rhetorica oritur, & Poetica, quæ ab Auerroe, quamuis minus proprie, nomine Logicæ nuncupantur. Et ita quincuplex erit Logica.

75 *His ſi grammaticam addimus, decipimur, uel ſaltem nimiū fuſe logicæ nomine utimur: cum Grammatica ratiocinationem non includat. Quapropter Ariſtoteles eas ſolas, quæ circa ratiocinationem uerſantur conſueuit nomine logicæ nuncupare.*

76 *Ex his eſt conſpicuum, logicam, ſi ſumitur ut una, pro ſubiecto ſibi aſciſcere inſtrumentum cognoſcendi, Si uero deinde ut triplex, ſeu ut quincuplex ita diſtincta ſubiecta aſsignari debēt ſingulis cōueniētia.*

77 *Nec repugnat, quod ei principia res conſiderata, modus conſiderandi, partes, & paſsiones conueniant: Non enim conueniunt ut ſcientiæ, ſed ueluti diſciplinæ, quæ nos doceat inſtrumēta formare ad artes & ſcientias omnes pertinentia, & niſi ei conueniant proprie, conueniunt ſaltem Analogia quadam.*

78 *Quare à uero recedunt, qui logicum conſi-*

derare affirmant Ens rationis, et ob id partem esse Philosophiæ statuunt, id enim est omnino falsum. Cum huiusmodi Entis nec principia, nec partes, nec paßiones cognoscere ualeat sub ea ratione, qua est Ens rationis.

79 *Nec inficiari debemus Logicæ principia cõuenire: immo asserendum est, Logicam esse Methodum, qua utatur intellectu. Et addendum omnibus huiusmodi Methodis conuenire principia, caussas, & Elementa. quanuis de Logica plurimi id negare audeant.*

80 *Principia prima Logicæ uaria consideratione statui possunt, tum quinque uniuersalia: tum decem prædicamenta, tum nomen, & uerbum: tum terminus: seu subiectum, & prædicatum. Nam hæc omnia Logico conducunt, & principiorum obeunt munia.*

81 *Nam cum de libro Prædicamentorum maxima sit altercatio, statuendum esse censeo, id minime esse opus Metaphysicum, nec habitu Metaphysico fuisse elaboratũ,*

sed potius communi quadam peritia. Et Logicæ fuisse præpositum ut ei materiam offerret, de qua, & circa quam formari, & uersari debent secundæ intentiones.

82 *Quoniam definitio & demonstratio partim conueniunt, partim sunt instrumenta sciē di distincta, & pro exacta eorum notitia est necessarium utrunque cognoscere, iure inanis est dubitatio, quomodo definitio consideretur in libris Posteriorum, vel vt instrumentum distinctum, vel per collationem ad demonstrationem: Nam procul dubio vtroque modo cōsideratur, cum eiusdem sit disciplinæ vtrumque declarare.*

83 *Si considerantur definitio, & demonstratio, vt in idem veniunt, frustra quæritur quid sit præstantius. Si considerantur, vt vicissim distinguuntur, tunc varia consideratione, & definitio demonstrationi, & Demonstratio definitioni præfertur.*

84 *In demonstratione aliquid inest, quod gerit vicem formæ, aliquid, quod materiæ. Quā obrem dicuntur in lib. Priorum attinentia ad formam, in lib. Post. attinentia ad ma-*

teriam declarari. quod cum in parte ſit ve rum, veriſsimum quoque hoc cenſeo, in lib. Priorum communem, in lib. Poſt. propriam formam demonſtrationis explicari.

85 *Medium per ſe cuiuſcunque perfectæ demon ſtrationis ſtatui debet cauſſa paſsionis, quæ cum ſit aliquando definitio explicans quid ſubiecti, ac etiam eadem ſit definitio dicẽs propter quid paſsionis, iure dicimus mediũ demonſtrationis eſſe tum definitionem ſub iecti, tum paſsionis, tũ nullius horum: ſem per tamen eſt ratio primi termini.*

86 *Vnde colligimus medium potiſsimæ demõſtra tionis minime eſſe quid internum rei, quæ demonſtratur, ſed ſemper quid externum: Nec eſt rei forma, niſi ſimilitudine & analogia quadam cum tamẽ collatione ad ſub iectum, & forma, & quid internum cenſe ri poſsit.*

87 *Definitio alterum eſt inſtrumentum cognoſcendi, quo diſſoluitur quæſitum ſimplex, & hoc ſubſtantijs præſertim: modo vero ali quo etiam accidentibus inſeruit, ut etiam modo aliquo ſubſtantiæ nomẽ eis tribuitur.*

88 *Accidentium definitio aliquando solum explicat quid, quæ ex materia, & forma conflatur: aliquando solum propter quid, & conflatur ex efficiente, vel fine, quæ potius caussa definitionis dici deberet. ut octauo Metaph. monet Aristoteles: Nonnunquã efficit vtrumque, & ea nuncupatur definitio solo situ à demonstratione differens.*

89 *Nil tamen prohibet quin definitio ex externis conflata nuncupetur nõnunquàm formalis: Nam id euenit, quia respectu alterius gerit vicem differentiæ. insuper quia ex eis altera infertur, vt in substantijs ex forma infertur materia. Postremo quia quæ minus propria sunt, & minus attingunt essentiam rei, formalia nuncupari cõsueuere, vt Dialecticus per formam definire dicitur.*

90 *Substantiæ definitio non eodem modo distribuitur: nam ea ex internis definiri dicitur materia, in quam & forma, & ex parte, quæ formam denotat, infertur altera, & non è conuerso. Nil tamen prohibet, quin aliquando etiam substãtiæ tribuatur utra*

que definitio,ea inquã,quæ explicat quid, & altera, quæ propter quid declarat.

91 *Ex dictis primo colligimus eam definitionẽ, quæ principium demonstrationis est, non esse propriæ paßionis definitionem: sed potius nuncupari debere (ut etiam ab Aristotele nuncupatur) caussam definitionis.*

92 *Inferimus secundo proprie sumptam definitionem solum ex internis principijs conflari debere: Nam externa minime quid res sit manifestant, sed potius propter quid.*

93 *Insuper tertio innotescit, quo modo definitionem omnia genera caussarum per se ingrediantur, & etiam quomodo duo sola per se, duo uero ingrediantur per accidens: Nam definitionem explicantem quid, solum ex accidenti externæ caussæ ingrediuntur.*

94 *Neque etiam à uero recederemus dicendo solam formam constituere definitionem, & partes eius omnes esse formas.*

95 *Cum definitio ex uno termino conflari non poßit, sed necessario ex pluribus: non propterea uniuersim uera est regula tradita secundo Post. quod singulæ partes definitio*

nis in plus ſe habeant:totum autem non inplus.

96 *Hinc colligimus differentias non ſemper con uenire uariis ſpeciebus:Nam dantur differentiæ ultimæ uni ſoli ſpeciei conuenien tes : quæ tamen frequenter latent.*

97 *Nec propterea Philopono adhærendum, qui definitionem differentiæ ita intelligendã uoluit . ut dicatur de pluribus differentibus ſpecie, uel numero: Nam abſolute dicendum de differentibus ſpecie prædicari.*

98 *Ad abſoluendam, & comprobandam definitionem confert & diuiſio, ut Plato cẽſuit, & demonſtratio,ut Hippocrates, & compoſitio, ut Ariſtoteles, quod tamen proprie demonſtretur fieri nequit.*

99 *Hinc inferimus, Philoſophum,quamuis pri mo de partibus animalium & ſecundo poſter.ſpreuiſſe uideatur diuiſionem, non tamen eam abſolute damnare : Sed ſecundo Poſter.negat ex ea monſtrari definitionem & primo de partibus, ſuperuacaneas, & redundantes diuiſiones deſpicit, at recte conſtitutã diuiſionẽ plurimum cõmendat.*

100 *Præcipua tamen omnium Methodorum, quibus definitio inuestigatur, censeri debet compositio: & hæc est maxime consentanea nostro modo cognoscendi: Neque Aristoteles secundo Poster. & sexto Topicorum sibi pugnantia dicit, ut perperam nonnulli asseruerunt.*

101 *Dialectica longe seiuncta est à Logica. sumitur tamen pro ea parte logicæ aliquando, quæ docet syllogismum dialecticum. Et ita ea quoque instrumentaria est. Attamen, si sumitur proprie, est disciplina, quæ per omnia uagatur, & quicquid est scrutari potest.*

102 *Dialectica à Platone præclaris laudibus extollitur, & non solum pars Philosophiæ, sed etiam apex & absolutio disciplinarũ omnium nuncupatur, & scientiis omnibus præfertur: Ex eo tamen non est colligendum eum putasse logicam esse scientiã ut perperam multi ex latinis existimarũt. Non enim Dialectica apud eũ logica est.*

103 *Neque etiam eam denotauit dialecticam, quæ apud peripateticos probabiliter solum*

ſequi dicitur. Quo ad inſtitutionem quandam, et directionem humanæ uitæ præcurrit: quoad abſolutionem, & exquiſitã earũ adeptionem, et cognitionẽ ſubſequitur.

114 *Si Methaphyſica cum aliis contemplatiuis confertur, uaria conſideratione, modo prima, modo ultima iudicanda eſt: Nec propterea eſt cum quibuſdam modernis dicendum ex accidenti ſolum non autem reſpectu noſtri poſtremam eſſe.*

115 *Si Mathematicæ aliis conferantur dicendum eſt idcirco eſſe primas quòd facile percipiantur: Ratione ordinis abſtractionis eſſe medias: ratione dignitatis poſtremas.*

116. *In his contemplatiuis diſciplinis exquiſitiſsime omnia explicantur, quæ ad totius uniuerſi abſolutam cognitionem pertinẽt. Quo circa hæc philoſophia Mundus quidam intelligibilis iudicari poteſt, nõ ſecus ac mundus corporeus, maxime ſibi cohærẽs & exquiſitiſsime in ordinem redactus.*

PRINCIPIA RERVM NATVRA CONSTANTIVM.

117 *Cum totum uniuerſum Philoſopho conſide-*

randum proponatur, quia sumus mortales, quia in medio, ac in loco generationis degimus & uariationi obnoxia a nobis facilius cognoscũtur, iure cogimur ab iis exordiri, ut partim sensu partim ratione innixi ad supremum principium extolli ualeamus.

118 *Vt res transmutationi obnoxias cognoscamus, cognoscẽda sunt principia, caussæ, & elementa: Quæ tres uoces minime (ut censeo) ita sunt accipiendæ, ut singulæ earum certum caussæ genus denotent, ut cũ Græcis putauit Auerroes: Namque solo caussæ nomine omnes denotare potuisset.*

119 *Neque etiam indefinite ita enunciantur, ut unaquæque pro eo sumatur, quod denotare potest, ut nonnulli existimarunt: Negligentiam enim potius Philosophi hac ratione indicaremus, quam accuratissimum eius Philosophandi modum.*

120 *Asseramus igitur Philosophum tria indicare uoluisse, quæ in omnibus scientiis, & in earum absolutis traditionibus exquirẽda sunt videlicet, ex quibus præcedentibus*

& dialectica superaddit ornamentum, & copiam orationis. Quare hæc quoque aliqua ex parte instrumētaria censeri potest: proprie tamen minime est instrumētaria.

106 *Cum Rhetor eloquentiam adhibeat orationi, & ob id eo appelletur nomine, attamen ex ratiocinationibus & suadendi modis potius quam ex orationis splendore & apparatu naturam & uim sortitur.*

107 *Sophistica etiam cum sit modo aliquo pars logicæ, proprie tamen loquendo est seiuncta à logica, et non secus ac dialectica circa omnia, quæ sunt, uersatur, non iniuria uenatrix disciplina nuncupari potest.*

108 *Insuper Poetica, quæ in comica, uel tragica inuentione, et imitatione numerum, fabulas, & metaphoras adhibet orationi, ut cum delectatione prodesse posit, aliquā etiam affinitatem habet cum logica, per exiguam tamen.*

109 *Hæ igitur quattuor disciplinæ dialectica, Rhetorica, Sophistica, et Poetica aliquo modo instrumentariæ dici possunt, proprie tamen loquendo, sunt disciplinæ quædam*

principiis pendent res: ex quibus præsentibus elementis res constant, & quæ cum rei, tum affectionum eius sint caussæ: Quæ tria, & si subiecto aliquando in idem ueniant: ratione tamen semper seiunguntur.

121 *Quapropter omnis sciẽtia prædita est principiis, caußis, & elementis: Nam & Mathematicarum sunt principia caussæ & elementa.*

122 *Principia ad notitiam per demonstrationem, & per definitionem referuntur. Elementa ad definitionem, caussæ ad eam, quæ est per demonstrationem.*

123 *Ita optime explicare ualemus cur primo Poster. dicat, scire esse rei caussã cognoscere, in Proœmio Phys. et sexto Metaph. asserit cognoscenda esse principia, caussas, & elementa.*

124 *Proœmium lib. phy. non debet iudicari commune uniuersæ naturali Philosophiæ, ut est quorundam sententia: Neque ita cõtrahi debet, ut solum primo libro inseruiat, ut nonnulli existimarunt: Sed censeo & primo, et secundo libro inseruire, potißimum*

tamen libro primo, ac insuper uirtute quadam reliquis sex libris.

125 *Quamobrem ab ijs dissentimus, qui ordinem uniuersæ Philosophiæ in eo proœmio manifestari asseuerant: id enim tam est falsum, quàm quod falsissimum.*

126 *De inscriptione librorum qui Auscultatorij dicuntur uariæ sunt sententiæ. Ego, aliis posthabitis, hanc ueriorem affero, ut soli duo primi libri dicantur de principiis, reliqui sex de motu: cum tamen ratione alia omnes de principiis nuncupentur.*

127 *Rerum naturaliũ principia possunt statui unum solum & id infinitum, & immobile ut Parmenides & Melissus asseruerunt.*

128 *Possunt censeri duo, ut Pythagoras, et Zeno iudicarũt, et ea duo sunt Deus, et Materia.*

129 *Possunt dici sex, ut existimauit Empedocles, quattuor elementa ac insuper lis, & amicitia.*

130 *At si proprie loqui uolumus, principia interna collatione ad transmutationem tria sunt statuenda uidelicet duo termini & subiectum.*

ſubiectum.

131 *Materia uere dicitur et mala & femina non tamen eſt ipſum malum, vt Plotinus putauit. Sed procul à cõtradictione iudicari debet mala per accidens, bona per ſe, ac inſuper nec bona, nec mala, nec turpis, nec pulchra.*

132 *Vt uero rem hanc diſtinctius explicem dico, materia in prima notione eſt tranſcendenter bona, formaliter uero nec bona nec mala.*

133 *In ſecunda notione eſt mala & turpis ſed per accidens non per ſe.*

134 *In tertia notione eſt et pulchra et bona ſed utrumque per accidens.*

135 *Minime probandam cenſeo communem ſententiam, primam materiam à primo Philoſopho non conſiderari, immo aſſero eam proprie ab eo ſolo conſiderari poſſe.*

136 *Materia eſt pradita ſuis gradibus, ut ipſa quoque ad Deum pro facultate conſurgat, qui nec tres tantum, nec quattuor ſunt ut nonnulli cenſent, ſed ſtatuendi ſunt quinque.*

137 *Hoc indefinitum principiũ tam incerta natura est, ut unum sit negatiue, unum priuatiua; multiplex aptitudine, multiplex actu; ac tandem nec unum, nec multiplex.*

138 *Ei coæterna est potentia, quæ uaria consideratione censeri potest, & essentia materiæ, & proprietas eius: & insuper accidẽs.*

139 *Ac eadem potentia tum una tum multiplex, tum æterna, tum generabilis iudicatur, singula nanque in bonum sensum rediguntur.*

140 *Hæc materia dicitur appetere formam, qui appetitus nil est aliud, nisi ordinatio ad formas, & non repugnantia ad eas recipiendas. ideo nec cum cognitione, nec proprie naturalis appetitus censeri debet.*

141 *Appetit non modo formam, quam non habet, uerum etiam quam habet. Hinc pulchra oritur dubitatio an ea appetere ualeamus, quæ possidemus, & partem utranque modo aliquo esse ueram affirmo.*

142 *Forma altera ex parte etiam materiã appetit, secus tamen ac ab ea expetitur: nec expetit materiam quam non habet, sed eã*

ſolam quam habet ualde tamen in proprie eam dicitur appetere, ſed potius eam ſupponere & appetere ſui conſeruationem.

143 *Forma mortalium, quæ generationis terminus eſt, & ſi æterna non eſt, multo tamen eſt excellentior materia. Non enim omne æternum præſtantius eſt corruptibili,*

144 *Iure igitur dicimus Formam eſſe totam naturam rerum, materia enim de ſe minime eſt natura: ſed ſolum id nomen ſortitur, quatenus formam recipit.*

145 *Sed ludamus cum antiquis, & dicamus ſolam materiam eſſe naturam, ac eandem eſſe totam rerum eſſentiam. Formas uero eſſe ſolum diſpoſitiones quaſdam & habitus uel magis, uel minus proprios, ac internos: & ita per non nullos nomen & definitionem uariari, per alios minime.*

146 *Natura cum proprie ſumitur, nõ ſolum ab intellectu, uerum etiam ab anima ſeiungitur, & infra animã locatur. Philoſophus tamen ſecundo Phy. naturã ſumpſit pro omni forma ſubſtantiali, quæ terminus eſſet generationis. Simplicius autem ſecus sẽ*

F ij

tiens receßit profecto ab Aristotele.

147 *Naturæ adeo est affine Fatum, ut re sit idē & sola ratione seiungatur: cum uero Aris. non uideatur de Fato uerba fecisse; tamen illud exquisite declarauit.*

148 *Caussarum genera quattuor sunt, & quemadmodum in singulis generibus ordo aliquis consideratur, ita etiam inter ipsa genera inuicem collata reperitur, & uaria respicientes modo uario ualemus ordinem aßignare.*

149 *Nam si ordinem consideramus productionis, primo occurrit finis, qui excitat efficiens: inter quæ duo mediat exemplar; efficiens transmutat materiam, inter quæ duo mediat instrumentum, postremo forma consurgit.*

150 *Si ordinem dignitatis consideramus, primas tribuere debemus fini, cui succedit efficiens (quicquid multi alij sentiant) tum forma, postremo materia.*

151 *Si ordinē nostræ inquisitionis animaduertimus, primo occurrit compositum ex materia & forma, deinde ad efficientis in-*

quiſitionem excitamur, poſtremo finem inquirimus.

FORTVNA ET CASVS.

152 *FOrtuna, & Caſus minime debent in Deorum numero recenſeri. Et fruſtra Romani templum fortunæ poſuerunt, nec id in mundo imperium obtinent, ut ſingula Caſu, uel fortuna fieri dicantur. Quare minus recte loquitur Plato, dum aſſerit Deum, & poſt Deum, Fortunam & tempus omnia gubernare, ea tamen ſententia in bonum ſenſum redigi poteſt.*

153 *Sed hoc magis præter opinionem iudicabitur, ſi dixero Caſum & Fortunam ex Ariſtotelis ſententia in cœlo, in intelligentijs, in Deo locum habere; quod tamen maxime affirmandum iudico, niſi enim in ijs eſſet, in hoc Mundo mortali locū nō haberet*

154 *Auerroi non cenſeo adhærendum, quod Caſus, et Fortuna ſolum habeant locum in ijs, quæ raro fiant; Sed Auicennæ ſententiam comprobo, quod etiam in ijs quæ æquè fieri et non fieri poſſunt reperiatur. Cenſeo ta-*

men dicendum fortuitos effectus latitudine esse praditos & eos, qui rarius sint nati prouenire, magis etiam fortuitos esse nuncupandos.

155 *Putant multi Sortem à Fortuna non seiungi, quod minime est admittendum: Nam multa, quæ eueniunt raro, dicuntur eueniere Sorte, quæ nec à Casu, nec à Fortuna proueniunt.*

156 *Pulchra est dubitatio, an homo sit suæ Fortunæ faber, de qua re hæc est mea sententia qui sapiens est, etiam Fortunæ suæ faber euadit: insipiens nequaquam, nisi minus proprie veluti dum sua insipientia miser nuncupatur cuius ipse fuerit author.*

157 *Fertur communiter Fortunam esse aduersam virtuti, quod minime approbandum censeo: potius econtra dicendum: Sapientem, & præditum virtute aduersum esse Fortunæ, cum eam paruipendat, & sibi substernat.*

158 *Ac insuper non male iudicaremus, si soli sapienti Fortunæ bona asseremus conuenire: Nam insipiẽs bonis omnibus est destitutus.*

159 *Est profecto Fortuna mutabilis, cum tamẽ in sua mutabilitate sit firmißima, non insulse olim sedens picta fuit; cuius rei non ea est aßignanda ratio, quam attulit quidam, inquiens, quia Fortunam nunquam vidi stantem, sed alia.*

160 *Fortuna non in homine solo, sed etiã in brutis & expertibus animæ locum habet, modo tamen diuerso.*

161 *Redigitur Fortuna ad caussam efficientẽ, dum ea ex accidenti & præter intentionẽ aliquid efficit: at magis communem usum loquentium seruaremus, si nihil esse dicere mus aliud præter latentem quendam concursum diuersarum caussarum.*

SIMPLICIA CORPORA.

162 *Quæ primo ex principijs constantur sunt simplicia corpora, quæ non solum quattuor sunt, vt antiqui putarunt, sed quinque, ut sensu, & ratione comprobauit Aristoteles. Quare à recto recedunt nonnulli ex moder nis, qui ignem, elementum præstantißimũ, è numero elementorũ conantur explodere,*

163 *Magis tamen ex antiquis illi falluntur, qui cœlum, vel ignem, vel ex igne conflatum existimarũt: quod si modo aliquo probare volumus; & asserere, cælo conuenire elementa, dicamus in eo singula cõiunctissime reperiri eminentia quadam, insuper virtute, & effectiue; postremo ratione similium quarundam proprietatum, at secus ibi minime excogitari possunt.*

164 *Mouentur suapte natura simplicia corpora non solo motu circulari, ut Ptolemaus, & Plato existimasse creditur, nec solo motu deorsum, vt censuit Straton, & Epicurus, sed motu triplici, à medio, ad medium, & circa medium.*

165 *Horum simplicium corporum unum solũ reperitur simplex, & purum, cui nulla impuritas conuenire potest uidelicet cælũ cetera semper sunt permista, & minime possunt sincera reperiri.*

166 *Neque etiam cœlum ita est purum, ut nulla in eo diuersitas reperiatur; nam & alius alio sincerior orbis, & pars parte iudicari debet. id tamen nõ proficiscitu. ex contra-*

rij

rij admiſtione, ut recte cẽſuit Alexander.

167 *Eſt tamen cælum ea eminentia præditum, ut cum ſui puritate omnem contrarietatem includat, & uere mundus ſphærus Empedoclis, & mundus amicitiæ cenſeri poteſt: Nam in cœlo omnia terrena ſunt, ſed modo cœleſti.*

168 *Motus cœli eſt profecto ſecundum naturã, non tamen, ut ſenſit Simplicius, ratione mobilis ſolum, ſed, ut rectius iudicauit Alexander, ratione utriuſque cum Mobilis, tum Motoris; Non tamen ita eſt ſecundum naturam, ut motus quattuor elementorum.*

169 *Ambigitur de Hemiſphærijs quodnam ſit præſtantius, num id quod ad Boream, uel potius quod ad Auſtrum uergit. Ego utrunque æque nobile affirmo, & idipſum de polis cenſendum iudico.*

170 *Lumen non primo conuenit orbi ſolis, ut multi cenſent, ſed cælo, ut ſubiecto adæquato; Octauæ Sphæræ autem tanquam præcipuæ parti eius; & hoc eſt intelligendũ, facta comparatione inter uarios orbes: At,*

si uicissim comparantur stellæ, lux Soli potissimum conuenit.

MVNDVS.

171 *Mundo ratione cœli uaria conueniunt: Nam, si æternus est, ut censuit Aristoteles, ea æternitas primo cõuenit cælo, & ratione eius mundo mortali, idipsum de sphæricitate censendum est.*

172 *Si ad naturæ uires conuertimur, uere cognoscimus Mundum ita esse unum, ut, dum aliquis asserat Mundos esse plures, oriatur propositio, quæ impossibilis est nedum falsa,*

173 *Mũdorum multitudo non solum materiæ repugnat, sed etiam formæ, fini, & efficienti: omnia enim maxime sibi sunt cõsentanea pro unius mundi constitutione.*

174 *At uagemur parumper & dicamus, mundos esse duos, esse tres, quattuor, quinque, & propemodum infinitos.*

175 *Sic uero consentanea protulit Empedocles dum mundos statuit litis & amicitiæ qui uicissim permutarentur: Nam altissimũ*

tunc mysterium indicauit.

176 *Nec à recto recessit Anaxagoras, dũ chaos, & infinitam corporum mistionem statuebat, & mentem superaddebat secernentem, cui tamen secretioni nunquã imponendus esset finis.*

177 *Mundi forma multiplex assignari potest, Primo Deus forma est uniuersi; secundo cœlum collatione ad mundum mortalem dicitur forma; tertio datur forma externa quæ figura eius est.*

178 *Propria tamen eius forma censeri debet, ut optime Teophrastus existimauit essentialis ordo corporum concurrentium ad uniuersi constitutionem; seu ipsamet formæ essentialiter ordinatæ.*

MVNDVS MORTALIS.

179 *MVndus mortalis continuus dicitur superioribus lationibus & iure continuus dicitur, non autem contiguus; ac lationibus superioribus, non autem corporibus. Cur uero ita dictum sit rationes nitar afferre. Non enim uocibus abutitur*

Philosophus, ut multi censent.

180 *Statim sub cœlo collocatur ignis, qui cum circulo moueatur, motus ille uaria consideratione, & secundum naturam, & præter naturã, & supra naturã censeri potest.*

181 *Hoc elementum ignis, si purum fuerit, minime lucere potest: Nam lux in mortalibus qualitas secunda est. quare flamma purus ignis censeri non potest.*

182 *Aer minime sui natura iudicari debet frigidus, ut antiqui putarunt, & nonnulli ex modernis affirmant, sed calidus potius, ut existimauit Aristoteles.*

183 *Dum quærimus caussas: cur aqua totã non inundet terram, id minime stellis nõnullis tribuendum est, quæ uiolenter aquã quasi suspensam detineant: Sed in omni genere caussæ caussam propriam aßignare debemus; quas omnes afferam dum opus fuerit, ex quarum cõcursu adæquata caussa emergit.*

184 *Natura optime comparatum est, ut aqua seruaretur, ne terra omnino redderetur arida, ut hyberno tempore plus aquæ ge-*

neraretur in aere, quam æstiuo. Econtra vero æstate plus aquæ in visceribus terræ gigneretur quam in aere.

185 *Si supra terram altißimos conspicimus consurgere montes, minime eos censere debemus æternos; sed fieri, & variari, ad quorū productionem concurrit terra madefacta tanquàm materia; concurrit sol tanquam commune efficiens; concurrunt spiritus, qui ex terra procreantur, & partes tollunt, & frequenter per terræmotus, euerti, & extolli montes possunt.*

186 *Qualitates competentes elemētis iure sunt quattuor, nam dum ad misti constitutionē concurrunt, humor cōfert ad receptionem, siccitas ad retentionem, caliditas ad efficientiam, Frigiditas ad contemperantiā.*

187 *Quæ in puris elementis summæ esse debent, & nulla ex parte remissæ: quoniam remissio earum denotat impuritatem, nec esse potest absque contrarij admistione: quoniam materia minime potest huiuscemodi qualitatibus denudari.*

188 *Nec propterea colligendum omnem remis-*

stionem fieri per proprie sumptum contrarium, id enim de nonnullis minime uerum est, cum præsertim subiectum vtroque contrario nudari potest. ac etiam cum formæ quæ remittitur proprie contrarium non cõuenit.

189 *Ex his colligimus non toto genere caliditatem esse contrariam frigiditati: nec humiditatem siccitati, vt nonnulli existimarũt. Nam, si id esset, minime se cõpaterentur. At cõtrarietas excessum graduũ exposcit,*

190 *Neque uulgaris sententia admittenda est, quod contraria appetant se destruere, & ignis expetat cetera cõsumere, id enim minime est naturæ consentaneum. Quare nec lupus expetit mortem agni; nec aliud, quod natura operetur, expetit interitum alterius, sed uel sui conseruationem uel sui propagationem.*

METEOROLOGICA.

191 *Hæc elementa, dum à sua natura recedũt, vel vt viciβim vertantur, vel ut mistum conficiant, Meteorologica constituunt;*

quæ iure affectiones elementorum nuncupantur rectius, quàm mista imperfecta.

192 *Horum principia proxima sunt duo halitus, ex quibus vel secundum naturam eleuatis, vel vi ad ima depressis omnia fieri Meteorologica censendum est, modo tamẽ vario.*

193 *Ac insuper elementis omnibus aliquem spiritum permisceri putandum est, vt in eis aliquid caloris semper inest: Minime tamen spiritum illum eis tribuo, quem posuerunt Stoici.*

194 *Cum maxime ambigatur de uia lactea, & à plurimis reijciatur sentẽtia Aristotelis. Ego tamen optime locutum Aristotelẽ censeo: Neque ob id nego, etiam in Cœli substantia viam lacteam reperiri.*

195 *Ex eodem duplici halitu etiam metalla gignuntur, quæ negauit Auerroes eadem specie posse arte confici. Verum de nonnullis id negare minime debuit, de præstantioribus apprime negandum: & frustra laborãt Chimici in auro conficiendo, & dum etiam arte aliquid efficitur, non proprie arte, sed*

natura fieri censendum est seu Physica Magia.

196 *Quartus meteorum liber non est ita ab alijs secernendus ut sit liber de mistis seiunctus, ut latinorum nonnulli putarunt, hoc enim Aristioteli et ueritati repugnat;*

197 *Neque etiam ita iungi debet libris de ortu & interitu, ut libris Meteorologicis præferatur neque in hunc errorem prolapsus est Alexan. sed qui perperam Alexandrum intelligunt.*

198 *Dicamus itaque quod quartus ille liber ob rem, de qua agitur aliis tribus perinde ac finis iungendus est; ratione tamen principiorum a quibus pendet, maxime hæret libris de ortu, et interitu ut optime sensit Excellentiss. Præceptor meus. D. FRANCISCVS PICCOLOMINEVS nec ab Aris. nec ab Alex. recedens.*

PLANTAE.

199 *Plantæ minime uiuunt, & aluntur per animam terræ, ut censuit Plotinus, Nam propria ui uunt anima, cuius expertia cē-*

seri

ſeri debent & terra, & reliqua elementa: & dum Simplicius aliter ſentit, ab Ariſtotele recedit, & iniuria carpit Alexandrũ.

200 *Si ſenſu eſſent prædita, ut nonnulli iudicarunt, tantum abeſt vt Mundus per id maiorem perfectionem ſortiretur, vt potius dicendum ſit fore, vt aliquo perfectionis gradu destitueretur. Siquidem minime datur tranſitus ſine medio: & vt in loco, ita in rerum gradibus inane non admittitur.*

201 *Quare aberrauit Empedocles, qui plantis ſenſum conuenire putauit, niſi nomine ſenſus abutatur, quod Philoſophus facere non debet.*

202 *Magis adhuc Democritus aberrauit, qui eas arbitratus eſt voluptate ac dolore affici, nec ſentiendi modo, ſed & cogitandi, & intelligendi vim habere.*

203 *Cum itaque Plantæ omni ſenſu ſint destitutæ, iure nec ſomnus nec vigilia, nec aliæ ſenſuum affectiones eis conuenire poſſunt, & errant, qui plantas dormire credunt.*

204 *Cenſere tamen debemus eam in plantis latitudinẽ reperiri, vt aliæ eminentiori, aliæ*

obſcuriori uitæ gradu præditæ ſint alioquin omnes eſſent eiuſdem ſpeciei, & nimium anguſta eſſet earum natura.

205 *Plantæ non ſolum ex ſemine procreantur uerũ etiam ex putri materia, uel in terra, uel in alia Planta. Vnde ab Alberto recedendum puto, qui non plantas, ſed ſolum animalia poſſe fieri ex putri exiſtimauit.*

STIRPANIMALIA ET ANIMALIA.

206 *STirpanimalia mediant inter plantas et animalia; tamen, cũ ſint prædita ſenſu, abſolute in animaliũ genere locari debent*

207 *Hæc quoque non ita ſunt media, ut in indiuiſibili conſiſtant, nam latitudine ſunt prædita, & quædam ad Plantas, alia ad abſolutiora animalia magis accedunt.*

208 *Animalia mox abſolutiora generantur, quæ motu ſecundum locum mouentur, quibus abſolutior cõuenit uis imaginatrix, per quam multa efficiunt: hæc enim eſt ſuppre ma omnium facultatum, quæ eis conueniunt & facta ad hominem cõparatione Mens brutorum dici poteſt.*

209 *Animantes cicures esse natura præstantiores feris affirmat Arist. primo Polit. id tamen esse uniuersim uerum minime crediderim, Nam cum ex timore, tum ex imbecillitate suæ naturæ fieri potest, ut disciplinabiles, & cicures nonnunquã euadũt.*

210 *Animalia aquatilia plura, multiformiora, & maiora dicũtur reliquis. Sed quid, si oppositum tueamur, & asseramus plura esse, quæ in aere degere possunt?*

211 *In igne nullum animal ualet uitam ducere, & quod de salamandra, & uermibus pyralibus dicitur ad fabulas reiiciẽdũ est.*

212 *Neque etiã datur auis, quæ ita Elemento aeris addicta sit, ut in eo semper degat, et nunquã in terrã descendat, et quæ enunciãtur de auicula Dei figmenta sunt hominũ.*

213 *Frequenter cõspiciuntur animalia mõstruosa: Nunquã tamen gigni potest tam multiforme monstrum, uel in animalium uel in Plantarum genere, ut constet ex partibus animalium diuersæ speciei.*

214 *Neque propterea inficiandum censeo in uetusta niue nonnunquam uermes gigni.*

posse, qui tamen ex niue minime fiunt, sed potius ex materia putri & calido spiritu qui sub niue per antiperistasim congregatur.

215 *Inter fabulas refertur quod de Perdice dicitur ab Aristotele quinto de historia animalium, quod si aduersæ maribus steterint & uetus ea ex parte afflet, ubi sunt mares, concipiunt fœminæ, & plerunque etiam uoce animalium, & volatu marium super fœminas replentur. Nitar tamen sententiam Aristotelis ut ueram, non ut fabulosam, sustinere.*

216 *In fabularum tamen numero illud habendum esse reor, quod dicitur de Pygmeis. Nullibi enim hoc monstrum repertum est; & si reperiretur, specie non differret ab homine.*

217 *Quod apes careant auditu minime credo.*

218 *Talpam vero non uidere affirmandum cēseo: Non enim cum Simplicio dicendum credo, solum uisu exquisito carere; & differentiam percipere lucis & tenebrarum, id enim meo iudicio non est admittendum.*

219 *Ambigitur, num formica per imaginatiuam grana colligat, vel per naturam: ego, cum per imaginatiuam, tum per naturam id fieri affirmo: uario tamen modo. Neque hæc dicens pugnantia profero præsertim tamen id per naturam fieri dicendum est.*

HOMO.

220 *Animalibus omnibus dominatur homo, quoniam sensibus ratio, & rationi mens dominatur. Rationis autem & mentis solus homo est compos. Quare à uero recessit Porphyrius, & cum eo Plutarchus, dum nituntur ostendere, animalia cuncta prædita esse ratione, & solum differre ab homine secundum magis, & minus.*

221 *Quid uero homo sit, aggregatum ne ex anima & corpore, an anima rationalis mentis particeps corpore vtẽs, videntur dissentire Platonici, & Peripatetici: At, si rem exquisite perpendimus, maxime cõueniũt.*

222 *Ex sententia tamen Aristotelis, hanc censeo integram eius definitionem. Animal rationis particeps. non enim mortale adden-*

dum eſt.

223 *Ex quo colligo cœlum minime eſſe animal rationis particeps, nam nec animal eſt, nec particeps rationis, niſi vtroque termino vtamur improprie, quod in definitionibus fieri non debet.*

224 *Colligo etiam Ariſtotelem dæmones nec cognouiſſe, nec admiſiſſe, cum infra cœlum ſolum hominem mētis compotem aſſeruerit. illi enim nec in hominū genere, nec infra, nec ſupra hominē ordinari poſſunt ex eius ſententia.*

225 *Mas & fœmina ſolum ſeiunguntur differentia, quæ accidens eſt, & qui fœminam dignitate præferunt mari, ſe non viros, ſed omni ex parte effœminatos oſtendunt.*

226 *Ex animalibus ſolus eſt homo ſcientiæ adeo particeps, vt omnia ſcire poſſe dicatur; ita tamen omnia ſcit, vt nihil ſciat, & ita ei conuenit ſcientia, ut valde propria ei ſit ignorantia.*

227 *Munus itaque hominis eſt, ut ſcientia naturalia ſcrutetur; prudentia diſponat humana; pietate diuina colat, & veneretur.*

228 *In hoc abſolutißimo animali differentiæ po ſitionis optime ſunt ſeiunctæ, & ſecundum naturam in ordinem redactæ: contingere tamen poteſt, vt conſuetudine fiat ambi dexterum.*

229 *Nec propterea cenſendum, quod dextrum à ſiniſtro ſola conſuetudine ſeiungantur, non natura, vt Plato videtur aſſeruiſſe: natura enim ſeiuncta ſunt: Nec ob id Ariſto telem à Platone in hac re diſſentire crediderim.*

ANIMA VNIVERSIM SVMPTA:

230 *VErum ut de homine, & animalibus ex quiſitiorem conſequamur notitiam, de anima agendum eſt, per quam viuentia per naturam conſtituuntur, & à Philoſopho cognoſcuntur.*

231 *Varij viuentium gradus ex varijs animæ gradibus naſcuntur; omnes tamen in hoc conueniunt, quod ſunt prima perfectio cor poris inſtrumentarij.*

232 *Nomine primæ perfectionis forma habitus & initium operis intelligi debet. Secunda*

vero perfectio minime est forma operans : Nam sic in actu esse dicitur, non actus ; sed opus ipsum censeri debet perfectio secũda.

224 *Inde nulla est ambiguitas num definitio cõueniat animæ nutrienti, cum semper operetur : nam, & si semper operetur, nunquam tamen anima est id opus: sed solum est initium operis, quare in re hac frustra laborat Auer.*

225 *Conueniunt etiam omnes animæ gradus, quod sunt principium vitæ, & ex hoc tanquam ex principio prius tradita definitio comprobatur. vita tamen multifariam desumitur.*

226 *Hinc Iamblici, & Porphyrij reijcienda est sententia, qui censent ex determinatis corporibus, ac sub certo cœli aspectu, & quorundam siderum principatu posse corpora confici animam attrahentia, quæ, cum arte constent, erunt uiuentia. id inquam minime est admittendum. Quod si etiam contingeret, id opus magicum iudicari deberet, ad quod ars solum instrumenti loco cõcurreret.*

Non

237 *Nõ ita anima est perfectio corporis instrumentarij, vt quæuis pars corporis instrumentaria sit, vt nõnulli putarunt, id enim Aristoteli, & vero repugnat, cum viuentium partes in instrumentarias, & homogeneas diuidantur. Verum id de toto viuẽte, & de præcipuis eius partibus intelligendum est.*

238 *Inde cadauera minime censeri debent corpora instrumentaria, nec cadauer est corpus vnum; nec datur una forma cadaueueris, ut passim creditur. nam sensu decipimur.*

239 *Sic quoque inania censeri debent uehicula animæ à Platonicis excogitata; nõ enim aereo, vel æthereo vehiculo seorsum à crasso corpore hærere anima potest: Nec illa vehicula censeri possunt instrumentaria, vt perperam Philoponus existimauit.*

240 *Neque ob id uehicula toto genere superuacanea dici debent: nam spirituosum, & ostreaceum uehiculum apprime sunt necessaria.*

241 GRadus animæ nutrientis primus est origine, & potest ab alijs seiungi, non tamē econuerso inde asserendum est esse animæ gradum ignobilissimum, attamē maxime necessarium.

242 Necessitas eius pendet non ex eo tantum quod corpus mortale sit, tunc enim omni mortali corpori pro salute deberet conuenire, quod esse falsum exemplo elementorum & metallorum innotescit.

243 Non enim cum modernorum nonnullis dicendum censeo & metalla & fossilia, uiuere & proprie nutriri, neutrum enim eis cōuenit, & longe minus id cōuenit elemētis.

244 Sed ea nutrientis animæ necessitas ex eo pendet, quod cum viuentia debeant præstantiora obire munera egent omnia quasi instrumento, calore eo, qui solis uiuentibus conuenit, qui infusus nūcupatur, cuius origo est cor, uel quod ei proportione respondet, qui cum in humidum agat, & ex eo reficiatur, eget uiuens continua nutri-

tione, qua minime egent non uiuentia.

245 *Hæc neceßitas minime in cœlo locum habet, inde errauit Epicurus, & peccarunt illi, qui cœlum propterea uerti dicebant, ut nutriretur.*

246 *Inanis est controuersia medicorum, & philosophorum, dum ambigunt, num ab anima, num à natura proueniant ea opera, quæ à nutriente facultate pendent: Nam simul & ab anima, & à natura proueniũt; cum ea anima etiam sit natura, ac insuper modo, & conditionibus operetur natura.*

SENSVS EXTERNI.

247 *SVpra nutrientem facultatem locantur externi sensus, qui ad duo cõferri poßũt, & ad sensile, & ad sensationem. si ad sensile conferuntur, profecto patiuntur ad passionem sensorij. Si uero conferuntur ad sensationem, ita sunt facultates agentes.*

248 *Inde notum est quid de sensu agente sit dicendum; nam ipsius sensus munus est agere; & actio est ei magis propria quàm passio: nec censendum, ut nonnulli asseruerũt,*

ſenſum agentem re diſtingui à patiente.

249 *Præſtantißimus omnium ſenſuum externorum viſus eſt: Nam citius, longinquius, modo magis ſpirituali, & circa præſtantius operatur. Quare falluntur qui nituntur oſtendere auditum viſui præſtare.*

250 *Viſus magis confert ad diſciplinas, quæ ex ſe comparantur.*

251 *Auditus ad eas, quæ ab alijs recipiuntur. Et ita viſus per ſe, auditus ex accidenti, magis ad diſciplinas percipiendas conducit. Quare fit, vt viſum maxime diligamus.*

252 *His igitur de cauſis viſus & auditus proximi rationis noſtræ miniſtri merito iudicantur: Nam & minus materiales ſunt, & circa res minus corporeas verſantur: et quæ oculis, & auribus offeruntur exactisſimum quendam ordinem videntur præſeferre.*

253 *Quamobrem facilius, & efficacius ex his duobus ſenſibus, quam ex alijs ad intellectum, ſupernasque mentes, vnde omnis ordo diſponitur, prouocari ſolemus.*

254 *Est profecto medium necessarium ad visionem. Quapropter à Plotino recedendum, qui id minime necessarium censuit. Nam, si duo essent mundi solo vacuo seiuncti, qui supra dorsum vnius poneretur, non posset alterum mundum videre, & id minime ea caussa contingeret, quæ à Plotino affertur.*

255 *Oculum Pythagorei igneum asseruerunt, & cum eis Plato, aqueum Aristoteles: at certe non dissentiunt.*

256 *Ambigitur num sensus hominum sint præstãtiores sensibus aliorum animalium: sed quoniam præstantia uario modo sumitur, & ad uaria potest referri, idcirco utrumq; valemus affirmare.*

257 *Ponebant Pythagorici quattuor in uniuerso sẽsuum ordines, primum in anima Mũdi, secundum in animabus sphærarum, & stellarum, Tertium in particularibus animis iam per instrumenta distributũ. Quartum concedunt plantis quasi simulachrum sensuum, At rectius Peripatetici, tribus neglectis, solum tertium admittunt.*

258 *Hinc falluntur, qui cœlo conuenire sensus*

affirmant, & nisi fallantur, saltem loquun tur improprie.

259 *Sensus in quadam ratione consistere dicun tur, quæ ratio triplex est, una in commistio ne elementorum; alia in instrumenti for ma suum spectante sensibile, Tertia his e minentior in anima consideratur spectan te naturaliter ita sensile hoc, & illud. excel lẽs sensile cum labefactet sensum, duas præ sertim primas rationes destruit, at modo aliquo etiam hanc tertiam rationem la befactat.*

260 *Cum sensum percipere dicatur obiectum, & priuationem eius, rectius tamen loqui mur, dum priuationem non sentiri asseri mus, quam dum asserimus sentiri. Siqui dem, cum nil sentiatur, sentiri dicitur ab eo, ad quod pertinet habitum cogno scere.*

SENSVS INTERNI.

261 *VLtra sensus externos dantur alij, qui interni nuncupantur, qui profecto in unum redigi possent. Maioris tamen di-*

stinctionis gratia duo ab Aristotele statuũtur, videlicet, sensus communis, & imaginatiua, cui iuncta est memoria.

262 *Decipiuntur igitur qui & existimatiuam & phantasiam, & cogitatiuam veluti ab enumeratis distinctas afferunt: nam existimatio opus est imaginatiuæ, quæ græca uoce phantasia nuncupatur.*

263 *At quid de cogitatiua dicendum, cum præsertim Auerroes hanc statuat ueluti ab alijs distinctam? Dicendum profecto Auerroem in modo loquendi ab Aristotele dissentire, conuenire autem in sentẽtia: Nã cum imaginatiua hominis excellat imaginatiuas brutorum, id, quo superat, nomine cogitatiuæ nuncupatur ab Auerroe. Cum tamen Aristoteles totam latitudinem nuncupauerit imaginatiuam.*

264 *Dum mentio fit de potentijs animæ, earum nomine esse etiam animã intelligi uolo: nam potentiæ modo aliquo sumptæ eædem sunt cum essentia animæ, modo vero alio seiunctæ.*

265 *HOminis imaginatiua ſuprema eſt omnium formarum materialiũ: Et, quoniam ſingula, quæ in Mundo ſunt, ſibi cohærere debẽt, iure infima intelligentiarum ſupremæ materialium copulatur. Nihil.n. inter has duas medium eſſe poteſt.*

266 *Ex horum complicatione anima redditur rationalis, & mentis particeps, ratione cuius homo mundi hymenæus, & copula, ac paruus Mundus nuncupatur.*

267 *Per hãc complicationem imaginatiua profecto perficitur, & illuſtratur. Mens vero declinat, progreditur, & à ſe recedit; nec tamen ob id labefactari dicitur, vt, nec ſol, dum illuſtrat terrena.*

268 *Hæc complicatio non à voluntate, & electione ducit ortum, ſed quadam Naturæ neceßitate fieri dicitur, qua ſibi propinquis ſuperiora cohærere dicuntur, ac eadem perficere, & producere.*

269 *Ex hac cohærentia, & declinatione oritur diſtinctio intellectus poßibilis, & agentis,*

qui

qui non ſubſtantia, ſed ratione, & modo ſe ſe habendi diſtinguuntur.

270 *Hinc pendet quod intellectus agens minime Deus eſt.*

271 *Neque etiam agentis, & poſſibilis diſtinctio conuenire poteſt ſubſtantijs ſeparatis, quæ ſupra hominis intellectum ordinãtur, nam eis ſolum conuenit intellectus, qui actus eſt.*

272 *Dum loquimur de inferioribus animæ gradibus, quoniam extenduntur ad corporis extẽſionem, minime in quauis parte corporis tota anima eſt, ſed in toto tota eſt, & pars in parte: ſola mens, vbi eſt, tota eſſe dicitur.*

273 *Si conſideratur mens, vt modo aliquo redditur animæ pars & imaginationi iũgitur ſic ad Phyſicum pertinet; ſic quoque conuenit ei animæ definitio: Non tamen vniuoce ac eodem modo, vt ceteris animæ partib.*

274 *At, ſi ut vna intelligentiarum eſt, conſideratur, minime ad Phyſicum, ſed ad primũ Philoſophum attinet: neque ob id cenſendum diminutam eſſe primam philoſophiã,*

cum exquisite de hominis mente ibi egisse non videatur: Nam agens de intelligentijs agit, etiam de mente hominis, vt una intelligentiarum est.

275 *Dum quærimus an intellectus det esse, duo sunt statuendi hominis gradus, unus corporeus, alter eminentior, & incorporeus: Primus per imaginatiuam constituitur, alter per mentem. Vnde forma formarum nuncupatur, & quanquam materiam nō format, magis tamen quam alia quæuis forma tribuit esse, & hominem absoluit.*

276 *Pari ratione, cum iam formato, & absoluto homine perinde ac instrumento vtatur; dicere cum Philosopho valemus, mentem instrumento proprio carere; Eam tamē magis instrumentariam esse, quam alius quiuis animæ gradus.*

277 *Dum Mens seiungitur à singularibus hominibus, non qua agens, nec qua possibilis seiungitur: sed qua est id, quod est, hoc est, quo ad essentiam eius, ut una ex intelligentijs est. Nam id solum est æternum, & immortale, ceteræ conditiones, quæ trahuntur*

ex complicatione abolentur.

278 *Hinc fit, ut minime recordemur, quod non est intelligẽdum solum de ijs, quæ ante præsentem vitam cognouimus, neq;, ut alij dicũt, de ijs, quæ in præsenti vita didicimus: sed absolute intelligendum velim, quod neque illorum recordamur, neque recordabimur horum: Nam quæ attinent ad memoriam ab imaginatiua, & à phãtasmatibus pendent. Quare, pereunte imaginatiua, minime recordamur, præsertim cum intellectus possibilis, qua talis est, aboleri dicatur. Eius tamen interitus in perfectionem terminatur.*

279 *Ex sensuum, & intellectus cognitione quadruplex cooritur appetitus; cupiditas, animositas, voluntas, & electio: Quarum duæ ad sensum, duæ ad intellectum attinent, & hæc est appetitio illa, quæ in animalibus est commune principium motus.*

280 *Inde prouenit, quod Aristoteles post sensuũ & animæ rationalis declarationem egit de facultate motrice: non enim id fecit, quia sensus, & intellectus uicissim maxime con*

ueniunt: nec quia motrix nō est animæ gradus, ut nonnulli affirmant, sed quoniā primo de principijs omnibus agendum fuit, à quibus appetitio prouenit, quæ motus initium est.

281 *Homo per mentem ad intelligentias & Deum attollere se potest, nihil enim est medium. Quare breuis est uia, si ut mentis cōpotes viuere uolumus. Nam centrū Deus est, circulus ei proximus est Mens.*

DE INTELLIGENTIIS ET DEO.

282 *AMbigitur de intelligentijs, an largiātur esse Cœlo. lis tota ex eo pēdet, quia in Cœlo res ita quærimus, ut Mūdo mortali cōueniūt, sed fallimur. Quare dicamus, si consideramus effectum, maxime eas largiri esse; si modum quærimus mortalibus cōpetentem, minime esse tribuere.*

283 *Fit profecto ex intelligentia, & orbe maxime vnum: quod tum ex eo verum est quia non fit copulatio medijs dimensionibus, sed sine medio; Nam primo consideratur intelligentia, 2, cœli materia 3. terminatæ di-*

mensiones. Tum etiam id est uerum, quia in ea copulatione unum accedit ad naturã alterius: Nam minime fit intelligẽtia materialis, sed cælum formale redditur, & utrumque uarijs locis expreßit Auerroes.

284 Hæ substantiæ separatæ, ut supra motum sunt, ita quoque sunt supra tempus, & in æternitate degere dicuntur; & eis proprie sumptum conuenit æuum, quod ab æternitate non seiungitur.

285 Nam æuum primo in separatis sine distinctione consideratur; secundo in mũdo cum distinctione præteriti, & futuri, tertio in mortalibus solum similitudine aliqua. Et in his primo in substantijs, secundo in accidentibus, nec tamen in omnibus: Nam quæ in fluxu habent esse, minime proprio æuo prædita sunt.

286 Dubitant an separatæ substantiæ in loco sint per essentiam, uel potius per operationem: Nitar ego ostendere utranque sententiam in bonum sensum redigi posse.

287 Tam admirabili natura præditæ sunt, ut sine contradictione dicantur esse in cælo,

extra cælum, ubique, nullibi, & dũ rectius loquimur, asserere debemus, non eas alibi, sed cetera omnia in eis reperiri.

288 *Sic omnia in superioribus continentur, vt dicere ualeamus singulas intelligentias esse mũdos singulos omnia includẽtes. Quod tamen eminentissime de Deo uerum est.*

289 *Et, quoniam singula pendẽt à Deo, & innumerabilia sunt munera eius; propterea, cum sit unus, ob uaria tamen munera uariæ sunt eius appellationes.*

290 *Et cum plures sint hæ separatæ substantiæ, non est censendum genere cõuenire eas, & differentijs seiungi: sed solum distingui dicuntur, ut ratione uaria ad primum ordinantur, & certo gradu recedunt.*

291 *Proprietates substantiarum separatarum sunt, ut, cum non sint, uere esse dicantur, sempiternæ sint, sine tempore, cum immensitate indiuisibiles, immobiles, omnium motiuæ, omnibus assistentes, ac simul ab omnibus separatæ, essentia plenæ, & uita refertæ.*

292 *In hoc diuino choro inspicit animus uitæ fontem, fontem mentis, Entis principium,*

boni caussam, radicem animæ, hæc nostra, est umbra uitæ; ea est uita uera, nullis passionibus obnoxia, quam cum attigerimus, mente exclamabimus. Dies unus in atrijs tuis DOMINE plusquàm mille aliorum anni.

293 *Ad hanc lucem supremam septem potissimum gradibus ascendimus. Nam primo purgandus est animus, secundo cognoscenda sunt Dei opera. tertio speculari debemus ordinem, quo inferiora opera per gradus ad caussas & ad superiora rediguntur, quarto analogice horum ordinem ad diuinum ordinem conferre debemus, & ex horum ordine ad illum ascendere, quinto iã negatione cuncta, quæ concepimus à principio separare debemus, sexto, iam mundi Pater reddit mentem mũdum intellectualem, cum se ei tribuat cognoscendum, septimo amore boni concita mẽs ex intellectuali statu in bonum transfertur intellectu superius, vbi solum quasi die septima suorum operum felicissime conquiescit, & sibi placet.*

294 ET, quoniam munus hominis est non solum speculari æterna, uerum etiam humana gubernare, ut felicitate non modo cõmuni Dijs, uerum etiam homini propria fruatur; iure ingenuus homo ciuili disciplina decoratus esse debet.

295 Etenim, cum homo ciuile sit animal, & rationis particeps, iure actio est ei magis propria, quam contemplatio. Cum tamen absolute contemplatio sit eminentior, nam tũc supra hominis terminos cõsurgere dicitur: ac inde quoq; prouenit, ut uitia magis naturã hominis labefactent quàm ignorãtia.

296 Vt nonnulla referamus attinentia ad disciplinam ciuilem ab animi perturbationibus exordiamur; quæ si proprie sumantur, soli conueniunt homini, ut censent Stoici. Hac enim conditione nati sumus animalia obnoxia non paucioribus animi, quam corporis morbis, si tamen sumũtur pro omni sentientis appetitionis commotione, etiam brutis conueniunt, ut Platonici & Peri-

Peripatetici censent.

297 *Hæ perturbationes, cum plurimæ sint, redi gi tamen possunt ad quattuor, ut fecerunt Stoici; ad tres ut Drusianus, ad duas, ut fecisse videtur Aristoteles, & ad unam, vi delicet ad amorem, ut censuit Themistius.*

298 *Vt curaremur, & his animi liberaremur morbis, ac insuper ut lege aliqua, non solũ natura ciuile animal redderetur homo, pa rata est ea philosophiæ pars, quæ ciuilis nun cupatur.*

299 *Hanc uendicare sibi conantur Iureconsul- ti, qui tamen iudiciarij potius, & custodes legum, quàm morales Philosophi censendi sunt. At non mirum hoc nobis videri de- bet, sæpe enim euenit, ut qui quasi manibus rem tractant, nomen artis, & disciplinæ si- bi uendicent.*

300 *Pertinet profecto cognitio perturbationũ, & habituum ad naturalem Philosophum: Nã ciuilis ab eo multa sumit, qui proprie in sui institutione, ac familiæ, & ciuitatis immoratur.*

301 *Disciplina ciuilis fere tota traditur in li-*

bris de moribus, non in Economicis, & Politicis, ibi namque fundamenta traduntur curæ ſuimet, familiæ, & Reipublicæ.

302 *Nec propterea ex hoc colligendum, Virum bonum; bonum Economicum; et bonũ Ciuẽ abſolute idem eſſe: Nam in ſola optime inſtituta uel familia, uel Republica in idẽ ueniunt, in aliјs ſeiunguntur. Qua de re Ariſtotelem à Platone minime diſſentire crediderim.*

303 *Verum quia in hoc mortaliũ orbe ob humanam imbecillitatem, nulla ciuilis adminiſtratio adeo exacta formari poteſt, ut aliqua ex parte non declinet à recto, id enim ſolum adinuenitur in Regno Dei, Iure aſſerere abſolute ualemus in ciuilibus adminiſtrationibus differre nonnunquam bonũ ciuem à uiro probo, & ſolum ſemper in idẽ uenire in magna mundi vrbe, quæ Dei cura gubernatur.*

304 *Per hanc ciuilem Philoſophiam non eradicandi ſunt affectus, id enim fieri nequit; Sed corrigendi, & redigendi ad mediocritatem.*

305 *Dum in habitus vertuntur, si mediocrita tem seruant, uirtutes sunt: si exsuperant, uitia nuncupātur: propterea definita sunt virtutes, infinita sunt uitia, ut recte Pythagorei asseruerunt.*

306 *Solus homo virtutis & uitiorum est particeps, quoniam ei soli conuenit ratio, qua affectibus ualet modum imponere, cui & aduersari, & obtemperare potest.*

307 *Brutis solum imagines uirtutum, & uitiorum conueniunt.*

308 *Deo, ex Philosophi sententia, non conueniunt uirtutes: Non inficior tamen in quadam eminentia ei competere.*

309 *Sed, hoc est mirabile, quod, cum Deo hominis uirtutes non conueniant; Homo tamen per uirtutes redditur similis Deo.*

310 *Inde etiam prouenit, quod, ut homo potioris conditionis est particeps, & beatitudinis compos, ita econtra in deteriorem gradum, & miseriam dilabitur, si ratione abutitur.*

311 *Animi perturbationes maximopere ex tēperatura proficiscuntur. inde & morum se*

mina quædam nobis natura inserta sunt: Tamen uirtutum, & uitiorum habitus ex vitæ genere, educationibus, & disciplinis ortum ducunt.

312 *Artes non per modum efficiendi, sed ipso potissimum opere comprobantur: At uirtutes uoluntate mensurantur, & modo operādi: Nam in actionibus maioris momenti est uoluntas & modus agendi ipso opere.*

313 *Tam pretiosa est uirtus, ut ea sola minime nobis liceat abuti: Cum ceteris & animi, & corporis bonis, & recte, & male uti ualeamus.*

314 *Et hoc in ea præclarum est, quod sine ea nil potest censeri bonum. Cum tamen eius præsentia omnia uel reddantur bona, uel in bonum dirigantur.*

315 *Inde prouenit ut & affinitati, & amicitiæ præferenda sit, & bono uiro potius, quam amico, & nonnunquam potius quam parēti bene faciendum est.*

316 *Honor & dedecus minime singulari certamine uel acquiri uel dignosci possunt: Nō enim quæ ad animum pertinent, his, quæ*

sũt in fortunæ manibus, seu corporis discrimine sunt internoscenda: Neque enim uis animi uiribus respõdet corporis, præsertim quia sæpe, deflorescente corpore, animus florere incipiat.

317 *Quare singulare certamẽ, ueluti quid seruile, & barbarorum et potius belluarum proprium, maxime damnare debemus.*

318 *Ex his colligimus tum domum, tum ciuitatem recte institutam primo de uirtute debere laborare. Hæc enim est fundamentum cuiusque recte administrationis. Quare cum pater familias, tum Princeps uirtutum exemplaria esse debent. & ubi non maxime honoratur uirtus, ibi fieri nequit ut firmus sit optimorum status.*

319 *Polleat igitur Princeps non quidem robore corporis, sed moderatoris animi, ac mẽs eius regia disciplina fulgeat, quæ perinde ac uiua lege etiam aboletas leges ualeat in integrum restituere. quo nõ solum nomine, uerum etiam re se Principem ostendat.*

320 *In rep. recte formata debẽt uirtutes, præcipuæ ita fulgere ut prudentia in principibus*

conſpiciatur,fortitudo in militibus, temperantia in principibus ſimul & militibus, iuſtitia denique in omnibus.

321 *Sunt formæ rectæ adminiſtratiõis tres Regnum, Imperium Optimatũ, & quæ respublica popularis nuncupatur, quæ primo intrinſecus in homine reperiuntur, mox in cura domeſtica.optime autem in ciuitate fulgent.*

322 *Philoſophi imperia abſolute conſiderantes regium cæteris prætulerunt, quo imperio Deus uniuerſum gubernat, ac maxime mundo expedit ita regi cum minime de Tyrannide Principis immineat periculũ.*

323 *Verum euenit ſæpe, quæ ſunt abſolute potiora.ut non omnibus talia ſint, quemadmodum in propoſito ſe habet: Nam in ciuitatibus, quæ hominum moderantur ingenio, hoc regium, & liberum imperium non eſt ceteris præferendum; ne Tyrannis, Peſtis illa abominabilis ullo unquam tẽpore ſubrepere ualeat: ob affectus, quibus ſæpe ducuntur homines.*

324 *In optime itaque inſtituta Republica ful-*

gere profectò debet regia Maiestas, ita tamen, ut optimorum ciuium coniunctione adeo coerceatur, ut in Tyrannidem labi nō poßit. Ex regia igitur, & optimatum potestate tertia quadam oritur gubernatio ceteris præferenda.

325 *Hāc felicem Remp. commodius esse censeo arbitrio uirorum iustorum gubernari, quibus tamē sit nota uniuersalis ratio legum, quam scripto legum de singulis decernentium: nam legibus non quod perpetuo, sed quod magna ex parte iustum est sancitur ob inconstantiam rerum agendarum, at uirorum iustorum prudentia cuncta pro oportunitate feliciβime disponuntur.*

326 *Quare prima Reipublicæ cura fulgere debet in curanda iuuentute: Ex ea enim eligendi deinde sunt magistratus, ac in eis tādem recipi debet Reipub. forma.*

327 *Oportet ciuitatem liberam, & prudentem sibi ipsi primo amicam esse, ne interna ægritudine ad necem perducatur, nam inexpugnabile munimentum est amor ciuium, cum inimicis enim nec in uia quidem com*

municare uolunt homines.

328 *Nec ei magistratum gubernãdum tribuere debemus, qui ob incontinentiam se gubernare nesciat: non enim ab eo recte, feliciterque ciuitas componitur, in cuius animo ciuitas quædam incomposita simul est, & misera.*

329 *Tria debent eis conuenire, qui præcipuos magistratus sunt suscepturi, primum ut ament præsentem ciuitatis statum, deinde ut habeant facultatem ad ea exequenda, tertio ut uirtute, & iustitia fulgeant.*

330 *Illud maxime in omni Republica cauendum est, ne qua facultas quæstus faciendi præcipuis Magistratibus relinquatur, quod in primis cauendum est in paucorum potentiis. Nec enim uulgus tam moleste fert excludi à magistratibus gerẽdis, quin lætatur potius, si suis rebus uacare permittatur.*

331 *Quoniam nonnulli dantur, quibus melius est inseruire, quam imperare, iure cum Aristotele dicendum est, quod datur natura seruus.*

332 *Nec propterea putãdum, qui bello uincitur, & uiribus superatur, natura eum esse seruum: imo neq; semper est legitime seruus; nisi legitimum fuerit bellum.*

333 *Vt nonnulli dantur qui ubiq; sunt serui, ita dãtur alij, qui nusquàm serui sunt, sed ubique terrarũ sunt liberi, etiam si patria seruitutis iugo prematur, etiã si ille in carcere, & compedibus detineatur.*

334 *Sed quid? si cum Aristotele asseruerimus ẽt, neminem esse natura seruum, ne uideatur natura fuisse nonnullis Nouerca?*

335 *In Rep. ita fulget iustitia, ut iniustus, etiam si totius orbis imperio potiatur, impotentissimus tamen censeri debeat. Quare omniũ impotentißimus est Tyrannus.*

336 *Venenum Reip. deterrimum censeri debet despicere populos, & nullum est ornamentũ principis fastigio dignius, pulchriusq;, quã illa corona ob seruatos ciues.*

337 *Non est seruitus uiuere ad formam Reip. sed salus Quare legitimo Principi inseruire regnare est.*

338 *Tria cogitat Tyrannus, & meditatur, ut a-*

nimos imminuat;ut diffidentes reddat ciues;ut impotentes. At Respublica recte instituta cum expetat commune bonũ, opposita prospicit.

339 *Non potest fulgere resp. non potest maxime pollere uiribus, nisi maris, & Terræ fruatur opportunitatib. Nã miros vsus Maria præbẽt. Quare Themistoclis probanda sentẽtia ẽ. Qui dominatur Mari, facillime dominabitur Terra.*

340 *Minime cẽsendum est omne bellum esse natura iniustum, immo bellũ ad propellendas iniurias, tum in eos homines, qui cum sint ad parendũ nati, tamen imperiũ recusant, natura iustum existimari debet.*

341 *Non tamen, ut Lacedæmonij fecerunt, ad bellum in primis sunt instituendæ leges, sed ad pacem, cũ bellũ ad pacem dirigi debeat.*

342 *Legum latori non sat est regionem, & homines animaduertere, ut fecisse uidetur Plato, sed uicinorum etiam locorum rationem debet habere, ut monuit Aristoteles.*

343 *Non negligendæ sunt mulieres in Rep. non enim barbarorũ more seruæ sunt iudicãdæ;*

ſed modo aliquo dimidiũ sũt ciuitatis, nec cões ſunt admittendæ, neq; etiã iiſdem muneribus, quibus uiri fungi debent. Nam vt natura à uiris, ſunt ſeiunctæ, ita quoq; munеribus & educatione ſecerni debent.

EXCERPTVM.

344 His gradibus ad ſapientiæ ſacrum deduxere nos Peripatetici, quibus cognoſcere ualemus, neminem ex Philoſophis tam exquiſite nobis monſtraſſe diſciplinas, & tã propè attigiſſe ſcopum, ac illi fecerint: adeo vt vere terminos nobis oſtenderint facultatis humani ingenij: Nec hominum inuentis emendari poſſunt. Iure itaq; (quod oſtendere ſumus polliciti) ſoli inter Philoſophos corona digni cenſeri debent.

LVX VERA,
ET EMENDATIO PERIPATETICAE SECTAE.

345 PEripatetici, cum fuerint homines, errare ipſi quoq; potuerunt, & ò utinam nõ erraſſent. Et, cum humanis inuentis non poßint corrigi, altiorem philoſophandi mo-

dum, & eminentiorem præceptorem inqui rere debemus, qui nulli errori ſit obnoxius, ad cuius amuſsim exactius, quàm ad lesbiam regulam Peripateticorum declinatio nes dirigantur.

346 Qua in re munificentiſsimum ſe præſtitit ALMVS MVNDI PARENS: Nam primo per ea, quæ mõſtrauit primis, parentibus.
Mox prophetarum inſtrumento,
Ac poſtremo per unigenitum filium omnẽ ignorantiæ caliginem à mentibus recte diſpoſitis longe repulit.

347 Munere huius lucis cognoſcimus in multis erraſſe Peripateticos; nam ſtatim in primo rerum initio lapſi ſunt, Quare non mirum eſt, ſi in pendentibus ab eo declinarunt à uero.

348 Hi nanq;, ut terminati immenſam Dei facultatem attingere non ualuerunt, ſed ſolã nouerunt æternam eius permanentiã: Nos autem lumine ueritatis illuſtrati eum affirmamus immenſi vigoris.

349 Id præſertim fuit in cauſſa erroris eorũ, quo

niam in Dei facultate cum duplicem con ſideremus gradum, unum per quem ordinaria, alterum, per quem abſoluta dicitur. Illi primum gradum munere operum natura cognouerunt, alterum ignorarunt.

350 *Inde cognoſcere non ualuerunt quomodo in ſolo Deo abſoluta neceßitas locũ habeat, quæ uero ſunt præter Deum, omnia adnexam habeant contingentiam.*

351 *Ex eodem fonte hic quoque manauit error, vt ex nihilo nil fieri poſſe enunciauerint, cum tamen ex nihilo factum ſit uniuerſum, ac diebus ſingulis nouæ hominum animæ procul ab omni materiæ labe recipiant eſſe.*

352 *Cùm etiam modum eminentiß. quo operatur Deus, non attigerint, male aſſerruerũt nil noui poſſe ab eo prouenire: Nos tamen in dies ab eo noua abſque ulla in eo innouatione manare aſſeueramus.*

353 *Inde perperam affirmarunt Mundum, & Cœli motum æterna eſſe, cum pro comperto habeamus in principio creaſſe Deum Cœlum, & Terram, & in ſæculi conſumatione*

nos visuros cœlum nouum, & terrã nouã.

354 *Quia insuper non attigerunt modum, quo Deus cuncta cognoscit, iure de Prouidentia, ac de uniuersi cura falsa enunciarunt.*

355 *Et id ipsum fuit in caussa, ut perperam Casum, & Fortunam absolute in uniuerso locum habere putarint, cum tamen collatione ad Deum omnia sint definita, & certa.*

356 *Si mox à Deo descendimus ad intelligẽtias, hic quoque corrigendi occurrent Peripatetici: Nam perperam existimarunt, se numero orbium posse adinuenire numerũ substantiarum abiunctarum: Nam multo sũt plures, quam orbes ob angelicos choros.*

357 *Et adhuc magis circa dæmones declinarũt, à quibus iure nunc mortui puniũtur, cum uiuentes existimarint eos esse delirantium insomnia, non secus ac Chimæra & Hircoceruus.*

358 *Si tandem quæ ad hominem pertinent, consideramus, nonne semetipsos maximopere fefellerunt, cum humano orbi unam destinarunt intelligentiam?*

359 *Cum insuper eam à ceteris animæ gradibus*

in substantia esse diuersam affirmarũ. omni ex parte æternam?

360 *Cum tandem minime existimarunt constituere substantiam hominis, sed id fieri per imaginatiuam? quasi homo secundum substantiam à brutorũ grege non secernatur?*

361 *Ex tam deprauatis radicibus hoc cõsurgit, quod post obitum aliam seorsum à corpore uitam, & animæ statum reperiri minime crediderunt.*

362 *Ac insuper de absoluta hominis felicitate minime enunciare ualuerunt consentanea uero, & multo minus de hominum resurrectione.*

363 *Et, quoniam qui de fine male sentit, perperã iudicat de ordinatis ad eum, propterea de uirtutibus, & uitijs falsa enuntiarunt: nã castos, mites, humiles, quasi uitio coinquinatos perperam damnarunt. Idq; ex eo fecerunt, quoniam ad humanũ potius, quàm ad diuinum regnum homines instituerũt.*

364 *Hac luce repellendæ sunt tenebræ; hac ueritate inuenta Peripateticorum sunt corrigenda; his tandem institutis uita hominis for*

.ia & dirigenda est, si procul ab errore
·issimam vitam viuere cupimus, & in
fonte lucis creatorem, & creaturas specu-
lari exoptamus. Quæ sapientia per eminen
[illegible] sapientiæ lucem corrigi non potest.
quon[illegible] [illegible]ia, veritas, & uita est, solus
sine errore nos dirigere, docere, & perfice-
re ualet. Cui honor, & gloria.

F I N I S.